



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Liber Tertius Decretalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)



# LIBER TERTIUS DECRETALIUM.

## Prooemium & Dispositio libri.

**E**Xplicatâ totius processus judiciarii ratione, quo Justitiam recto & debito modo administrare docemur, consideratis etiam personis justitiam facientibus, reliquû est, ut ad ipsas res seu causas, quæ in iudicium ecclesiasticum deducuntur, transeamus, quod præsentis titulo faciemus, & ut clarius procedamus, sequentem titulorum connexionem præmissis quibusdam, statum clericalem concernentibus, assignamus. Primum quod consideratur in clerico est honestas vitæ, quam præscribit, *Titul. 1.* Hanc suspectam reddit cohabitatio mulierum, quam prohibet, *Tit. 2.* Maximè autem conjugium, quare conjugati, ab altaris ministerio repelluntur. *Tit. 3.* Et in ecclesiis ac beneficiis suis residere coguntur. *Tit. 4.* Beneficiorum naturam explicat. *Tit. 5.* Quæ defectu residentie non amittuntur ab ægrotantibus & debilitatis. *Tit. 6.* Nec obtinentur sine canonica institutione. *Tit. 7.* Nec conferuntur nisi vacaverint. *Tit. 8.* Collatio autem vel ad Episcopum solum spectat, & tunc eo mortuo capitulum conferre nequit.

quit. *Tit. 9.* Vel ad Episcopum & capitulum communiter pertinet, & tunc prælatus sine consensu capituli ni agere poterit. *Tit. 10.* Quòd si collatio penes capitulum fuerit, majoris partis ratio habenda erit. *Tit. 11.* Conferenda autem sunt beneficia sine diminutione, id est sine reservatione fructuum. *Tit. 12.* Qui fructus si ad ecclesiam pertineant, in ejus utilitatem impendi, non dilapidari, nec bona vel res Ecclesiarum sine causâ alienari debent. *Tit. 13.* Species autem alienationis est precarium *Tit. 14.* Commodatum. *Tit. 15.* Depositi. *Tit. 16.* Emptio venditio. *Tit. 17.* Locatio conditio. *Tit. 18.* Permutatio. *Tit. 19.* Feudum. *Tit. 20.* Nec oppignorari. *Tit. 21.* Nec fidejussioni subjici. *Tit. 22.* Ne Ecclesia, iniquè rebus suis fraudetur, aut ad faciendam solutionem pro alio adstringatur. *Tit. 23.* Sicut autem prælatis inhibetur rerum ecclesiasticarum alienatio, ita & donatio. *Tit. 24.* Nisi modica fuerit, aut ex proprio peculio fiat. *Tit. 25.* Peculium Clericorum vel consistit in bonis patrimonialibus aut aliunde provenientes, vel beneficiis intuitu ecclesiæ acquisitis; de quibus qualiter Clericus disponere possit. *tit. 26.* De testamentis docet. quod si intestatus decesserit, secundum distinctionem bonorum, agnatus, vel ecclesia succedet. *tit. 27.* Ad bona Clericorum externa spectat etiam Jus sepulturæ, quinam verò sepeliendi, vel sepulturâ privandi sint. *tit. 28.* Exhibet. in propriâ autem Parochiâ, vel Ecclesiâ sepeliri debent. *tit. 29.* Ac propterea ecclesiæ Parochiales sive earum rectores, decimas primitias & oblationes, propter onera Parochialia percipiunt. *tit. 30.* Clerici vel sunt seculares, vel regulares? Religionis natu-

naturam & regularium obligationem explicat.  
 tit. 31. Quam etiam conjugati ante consummationem  
 Matrimonij ingredi possunt tit. 32. Uti &  
 cæteris paribus unus conjugum ad fidem conver-  
 sus altero in infidelitate manente. tit. 33. ingredi  
 tenentur, qui religionem voverunt, nisi relaxatio-  
 nem voti impetraverint tit. 34 De statu autem re-  
 ligioso prius deliberandum est, & expendendæ  
 ejus difficultates, nè ex post facto pœniteat, qui  
 præcipitanter intravit. tit. 35. Monasteria autem,  
 ut & aliæ Ecclesiæ, ac loca pia Episcopo subijciun-  
 tur, in cujus Diœcesi sita sunt. tit. 36. Similiter &  
 Capellæ Monachorum. tit. 37. Consecrantur Ec-  
 clesiæ regulariter ad præsentationem patroni, Jus  
 patronatus habentis. tit. 38. ex quarum ecclesia-  
 rum redditibus patronus annuatim percipit censum,  
 si, dum ecclesiam fundaret, censum reservaverit.  
 tit. 39. In ecclesiis autem divina debitè & decenter  
 non peraguntur, nisi consecratæ fuerint. tit.  
 40. quâ consecratione deficiente non debet ibi-  
 dem celebrari Missa, nec Sacramenta administrari.  
 tit. 41. Quorum primum & maximè necessarium  
 est Baptismus cujus effectum docet. tit. 42. Qui ut  
 & reliqua Sacramenta regulariter per Sacerdotem  
 administrari debet, cujus ordinatio nulla erit,  
 si baptizatus non fuerit. tit. 43. Ejus officium est,  
 Eucharistiam & Chrisma decenter custodire. tit. 44.  
 Reliquias decenti loco asservare. tit. 45. certis  
 diebus jejunare & populum ad observandum jejuni-  
 um hortari. tit. 46. mulieres post partum benedi-  
 cere. tit. 47. Ecclesiæ sine consensu Episcopi  
 exstrui nequeunt; quod si verò ruinosæ fuerint,  
 reparandæ erunt. tit. 48. earum Immuni-  
 tatem

tatem clericum defendere debent, & omnem profanationem, ac irreverentiam præcavere. *tit. 49.* quæ profanatio nè per illos ipsos fiat, nè dignitati clericali generetur præjudicium, ab omni momento negotio sæculari abstinere, de quo agit *tit. 50.* & ultimus huius libri.

## TITVLVS I.

De

### vita & honestate Clericorum

**Q**UÆRES Quotuplex sit vitæ honestas, quam quidem ab omnibus Christianis, præ primis autem à clericis utpotè in sortem Domini vocatis exigit Deus? Resp. duplex est, una interna, quæ consistit in puritate animæ, & gaudio illæscæ conscientiæ; altera externa, consistens in actionibus & moribus, ad normam Ss. Canonum & præscriptum divinæ legis ordinatis. Morum integritas in clericis requirit *imo.* continentiam vel castitatem & vitam tam puram, ut ne quidem incontinentiæ suspitione coram hominibus maculentur *cap. 13. b. t. 2do.* sobrietatem & abstinentiam à crâpula & ebrietate *cap. 4. b. t. cum* vinum sit libidinis in centivum *proverb. cap. 20.* quod Innocentium II. movit ut clericis provocationem ad æquales haustus & frequentationem tabernarum interdiceret *cap. 1. ne clerici vel monachi. 3tio.* fugam avaritiæ à quâ status clericalis plurimum infamatur; hinc eisdem prohibentur usurarij contractus, negotiationes sæculares *cap. fin. b. t. & cap. 6. ne clerici vel Monachi. 4to.* decentem habitum; cuius decentia licet

licet ex usu regionum & ordinatione Episcopi de-  
sumenda videatur, eum tamen Sixtus V. speciali  
Bullâ quæ incipit *eum sacro sancta*. publicatâ Ro-  
mæ. 18. Januar. 1589. Thalarem esse voluit, non  
militarem, non viridem non rubrum, habitu Cardi-  
nalianum excepto, nec alias ad luxum compositum;  
quem si Clerici etiam in minoribus constituti be-  
neficium tamen ecclesiasticum obtinentes, non defe-  
rant, pœnâ suspensionis coercendi veniunt, *cap. 15*  
*& Clem. 2. h. t. & Trid. sess 14 c. 6. de refor.* Si sine be-  
neficio fuerint, hanc quidem pœnam evadunt, ve-  
runtamen privilegio fori non gaudent; 5to, requi-  
rit tonsuram clericalem sive coronam in Capite;  
6to denique abstinentiam ab omni eo, quod con-  
ceptam interiùs devotionem destruere, & statum  
clericalem dedecere possit; hinc prohibita est Cle-  
ricis venatio, maximè clamorosa; armorum  
gestatio; lusus histrionum publici; officia lanio-  
num, tabernariorum, &c. quod si ter moniti non  
resipiscant, infames fiunt, & privilegia à Jure con-  
cessa amittunt; verum hæ sanctæ dispositiones ca-  
nonum parum attenduntur, dum in luxu vestium &  
dissoluto vivendi modo Clerus imitatur populum  
& sæpiùs Sacerdotes sponsis similiore sunt quàm  
Clericis, verificantes querelam *Isaia c. 24 sicut popu-  
lus sic & sacerdos. vid. Trident. sess. 2. sess. 14. cap. 63*  
*sess. 22. cap. 1. sess. 24. cap. 12.*

*de reform.*

T

TITU.

## TITULUS II.

De,

Cohabitatione Clericorum  
& Mulierum.

**QUÆRES I.** Quarum mulierum cohabitatio prohibita sit Clericis? Respond. Cum de Incontinentiæ vitio honestati vitæ maxime contrario suspectam reddere Clericorum vitam soleant consortia & familiaritates mulierum; hinc ut remotiores sint Clerici à periculo lapsus & omnis tollatur occasio scandali, mulieres in ædibus habere prohibentur. Interdicta igitur Clericis est omnis cohabitatio cum mulieribus suspectis quales censentur Extranææ & Juvenes, non tamen cum aliis personis primo vel secundo consanguinitatis gradu conjunctis, uti nec cū mulieribus ætatis proventioris, de quibus incontinentis vitæ suspicio non habetur. Ratio prohibitionis est, quod sicut impossibile est, stupam igni admotam illæsam servari, sic miraculosum videatur continentiam nimia familiaritate mulierum non labefactari; & quemadmodum durum est, ignem sinu fovere, ut vestimenta non ardeant, aut ambulare super prunas ut plantæ non adurantur, aut picem tangere, ut manus non inquinentur, *Prov. 6.* Ita durum est mulieri cohabitare & puritatem cordis intactam servare.

**QUÆRES 2.** Quæ sit Clericorum cohabitantium pœna? Respond. Clerici suspectas feminas in ædibus habentes, de iis dimittendis admoneri debent, quod si ter moniti eas non dimiserint,

rint, Iure antiquo excommunicati à beneficiis removebantur. hodiè verò speciali dispositione Concilii Trident. sess. 25. de reform. c. 14. Primo pœnâ ordinariâ secundum consuetudinem diœceseos afficiuntur, quòd si post hanc monitionem non abstineant, tertiam partem omnium fructuum suorum beneficiorum ipso facto amittunt; Sin verò nec secundæ monitioni paruerint omnibus fructibus privantur, & ab administratione beneficiorum ad arbitrium ordinarij remouentur; Si & tertiam admonitionem contempserint omnibus beneficiis ecclesiasticis & pensionibus perpetuò privantur, & inhabiles ad quævis beneficia declarantur, donec post manifestam vitæ emendationem cum iis ex commiseratione videatur dispensandum.

## TITULUS III.

De

### Clericis conjugatis.

**Q**UÆRES I. An Clerici matrimonium inire, vel inito matrimonio beneficia sua retinere possint? Respond. Cùm simul carnalibus desideriis & divinis obsequiis Clerici vacare nequeant, eos præsertim vero Sacerdotes, non solum à consortiis suspectarum mulierum, sed ab omni etiam conjugio abstrahendos censuerunt Canones, ab ipso jam Ecclesiæ primordio. Illud hic dispiciendum est, quibus Clericis matrimonia prohibeantur, & quatenus Clerici beneficia habere vel retinere possint. Non eodem rigore ecclesia omnes

T 2

à con-

à conjugii esse voluit alienos; distinctio igitur faciend est inter Clericos in minoribus & majoribus ordinibus constitutos, illis ecclesia matrimoniū non negavit *can. si quis verò dist. 32.* Si tamen de presentē contraxerint, obtentis jam ante beneficiis privantur & ad obtinenda inhabiles reddidit *cap. 1. <sup>65</sup> seqq. h. t.* Qui verò in sacris sunt, nullo jure matrimonia inire possunt, obstante voto solemnī in susceptione ordinum emisso; qui olim tam severè puniebantur, ut venundatis foeminis Clerici tales relegationis poenam sentirent; hodiè verò imprimis irregulares fiunt, 2. excommunicantur, 3. suspecti fiunt de hæresi; & 4. denique beneficia quæ obtinebant, amittunt, de quo plura in *libr. 4. potissima quæ hoc tit. Tractantur*, Clericos in minoribus concernunt, de quibus proindè,

QUÆRES 2. An Clericus conjugatus, beneficio suo ipso Jure privatur an verò per sententiam privari debeat? Sunt quidam qui in Casu proposito ad beneficii privationem, sententiam judicis requirunt propter *textum cap. 3. & 5. h. t.* ubi Clerici matrimonium contrahentes beneficiis spoliari & privari dicuntur, quæ verba sententiam ferendam significant, ego tamen cum communi DD. Resp. hujusmodi Clericos beneficiis suis ipso jure privari, ut adeò nullum beneficium retinere possint, indeque provenientes fructus à die contracti matrimonii perceptos non expectatâ Judicis sententiâ restituere teneantur prout desumitur ex *cap. 1. h. t.* & ratio potissima est, quòd status matrimonialis de Jure incompossibilis sit cum beneficio ecclesiastico; beneficium enim datur propter officium; sicut Ergo conjugati incapaces sunt officii ita & beneficii; qui

Ergo

Ergo matrimonium contraxit tacitè præsumptione  
 iuris, beneficio renuntiavit; accedit quòd beneficia  
 de consuetudine saltè sub hac conditione conferan-  
 tur, si Clericus manseris beneficium retinebis; defi-  
 ciente igitur conditione, ipso quoq; iure beneficium  
 censetur dimissum; *non obstant* 1. Textus allegati,  
 quia loquuntur de privatione possessionis, non Iu-  
 ris aus tituli, quòd scil. talis si beneficium nondum  
 dimiserit ejus possessione privandus sit, *neque obstat.*  
 2. *can. quia tua. caus. 12. quest. 1.* ubi Clericis conju-  
 gatis de stipendiis providendum statuitur; quia ca-  
 non ille de stipendio temporali intelligitur, quod  
 ratione laboris vel ministerij in ecclesiâ Exerciti æ-  
 ditio v. g. vel cantoribus assignatur. *neque obstat.* 3.  
 Quod Clerici concubinarij & alij criminosi ipso iure  
 non priventur, atque propterea beneficia dimittere,  
 & fructus perceptos saltè ante sententiam decla-  
 ratoriam rest. tuere non teneantur *Argumento cap. 19.*  
*de heret. in 6.* quia hoc locum tantum habet in priva-  
 tione pœnali, qualis non est, quâ beneficium amit-  
 titur propter matrimonium contractum, cum enim  
 illud Clericis in minoribus constitutis licitum sit,  
 pœnam non subeunt, sed ipso facto resignant.

QUÆRES 3. An Clericus in minoribus  
 constitutus beneficium amittat ipso iure, si matri-  
 monium contraxerit sed invalidum? Sunt qui af-  
 firmant, sunt qui negant, mihi verior & sanior  
 videtur sententia negativa quam tenent, *Sanchez.*  
*disput. 43. num. 3.* & *Lessius l. 2. c. 34. num. 113.* Ratio  
 est quod Canones privationem beneficiorum indu-  
 centes loquantur de matrimonio valido. uti ex *cap.*  
*1. 3. 55. b. t.* Apertè constat, privatio enim procedit

dit ex impossibilitate statûs clericalis cùm maritali, quæ ex matrimonio invalido nequaquam oritur.

QUÆRES 4. An Clericus minorista conjugatus gaudeat saltem privilegiis Clericorum? Respond. Si contraxerit cum unâ eaque Virgine, si deferat habitum & tonsuram clericalem, atque insuper (ut *Concil. Trid. sess. 27. cap. 6. de reform. Specialiter requirit*) alicujus ecclesiæ Ministerio ab Episcopo deputatus fuerit, privilegiis Canonis perinde ut alii Clerici gaudet, fori autem privilegio gaudet solummodo in Causis Criminalibus, ita ut in his sive Civiliter sive Criminaliter agatur ad iudicium sæculare trahi nequeat. *cap. un. h. t. in 6.*

## TITULUS IV.

De

Clericis non residentibus in Ecclesia  
vel præbendâ.

QUÆRES I. Quid sit residentia, & quanam ad eam obligentur? Respond. Est mansio sive assiduitas commorationis in ecclesiâ vel loco beneficii causa servitii Ecclesiastici personaliter præstandi, ad quam non sufficit sola præsentia in loco beneficii sed & præsentia in ecclesia & persolutio divini officii, ad residendum obligantur imprimis omnes beneficium curatum habentes, quales sunt Episcopi, Abbates, Parochi, & quicunque dignitatem, personatum vel officium obtinentes, *cap. 2. h. t. & Trid. sess. 23. cap. 1. de reform. dein Canon.*

nonici Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum  
*cap. 1. h. t. Trident. sess. 24. c. 12. de reform.* Denique  
 spectato Jure communi omnes Clerici beneficia eti-  
 am simplicia obtinentes. *cap. 2. § 6. h. t.* Dixi spe-  
 ctato Jure, quia universalis consuetudo passim ob-  
 tinuit, ut in multis hujusmodi beneficiis non resi-  
 deatur, sed beneficiatus ad aliqua sacra hebdoma-  
 rim vel per se, vel per alium legenda, obligetur;  
 an vero obligatio residendi ex jure positivo huma-  
 no, an vero ex divino proveniat, controversia est  
 inter doctores; & quidem quoad beneficiatos simpli-  
 ces difficultas non est, omnes enim conveniunt, eos  
 ad residendum jure tantum positivo obligari; quæ-  
 stio igitur tota est de Residentiâ Episcoporum, Pa-  
 rochorum, aliorumque curatorum; hos ad resi-  
 dendum jure tantum humano obbigari defendit  
*Caterm. in apolog. de resident.* Contra totum ex qua-  
 druplici ratione; 1. quòd de hac obligatione nul-  
 lus sit textus in S. Scriptura. 2. Quòd dioceses &  
 parochiæ institutæ non sint à Christo, sed ab ec-  
 clesiâ, quæ proinde obligationem uni impositam  
 alteri committere poterit. 3. Quod obligatio resi-  
 dendì personaliter, secundum Navarram possit tol-  
 li per consuetudinem quâ tamen præcepta juris di-  
 vini tolli non posse manifestum est. 4. Quòd in  
 Jure divino Papa per se dispensare non possit, cum  
 tamen dispenset quotidie in Residentiâ; sed his rati-  
 onibus non obstantibus tenenda est communis sen-  
 tentia, asserens obligationem hanc esse Juris divi-  
 ni, quam tenent *Barbosa de off. episc. alleg. § 2. § Fa-*  
*gna. in cap. ex parte h. t. num. 25.* eamque sic probant,  
 ex Tridentino: præcepto divino mandatum est o-  
 mnibus curam animarum habentibus oves suas

agnoscere; pro iis sacrificia offerre, verbum divinum prædicare, sacramenta administrare, populum verbo & exemplo pascere, *Trid. sess. 23. c. 4. de reform.* quòd ipsum desumitur ex *Prov. cap. 27. Joan. 10. v. 21. Actor. 20. 1. Tim. 3. 2. Tim. 4. Tit. 2. Sc.* Sed hæc omnia implere non possunt, qui gregi suo non invigilant, nec assistunt, sed tanquam mercenarii oves deserunt, verba sunt Concilii; Ergo si ad hæc præstanda ex Iure Divino tenentur, etiam ad residentiam eodem Iure obligantur. Ad rationes in contrarium allatas respondent, ad primam quidem, etsi Sac. Scriptura expressis verbis non dicat, Episcopi resideant, id tamen innuit verbis æqui polentibus. Secundam sic solvunt; Esto distinctio Episcopatum & Parochiarum Ecclesiæ commissa sit, eorum tamen erectio à Christo processit, cum non homo sed Spiritus S. posuerit Episcopos regere Ecclesiam DEI, *Actor. 20.* Ad tertiam respondent falsum esse obligationem hanc per contrariam consuetudinem tolli posse, cum ejusmodi consuetudo etiam immemorialis pro corruptelâ habeatur. *Trident. cit. loc.* Nec vim habet ratio quarta. Pontifex enim propriè non dispensat, sed declarat Jus Divinum tali casu ob rationes & motiva gravia non obligare, uti facere solet in votis & juramentis, in quibus dispensat, non obstante quod Iuris divini sit eorum obligatio.

QUÆRES 2. Quæ sint causæ excusantes à residentiâ, & quæ pœnæ non residentium? Resp. 1. Archi-Episcopi, Episcopi & probabiliter etiam alii Prælati habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem, ex æquâ causa, imò ut volunt aliqui, solius etiam honestæ recreationis gratiâ ab Ecclesiis suis quotannis

annis abesse possunt duobus vel ad summum tribus mensibus, ultra quod tempus si abfuerint præter reatum peccati mortalis, pro rata temporis fructus amittunt. *Trid. sess. 6. c. 1. de reform.* quos proinde vel fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci vel alteri causæ piæ applicari jubet, *Trid. sess. 23. c. 1. Resp. 2.* Parochi aliique curati ad summum per duos menses de licentia ordinarii propositâ rationabili causâ à Parochiis suis abesse possunt; quòd si sine gravi Causa & non petitâ prius ab ordinario licentiâ discesserint, pro rata temporis similiter fructus amittunt, ut. *Trid. sess. 23. statuit. Resp. 3.* Canonicis, aliisque habentibus præbendas in Ecclesiis Cathedralibus vel collegiatis à Tridentino permessa est absentia trium mensium, nisi tamen longiorem residenti- am exigant statuta capitularia quibus à Concilio derogatum non est; quod si ultra emanerint, primo anno media parte fructuum, postea autem omnibus fructibus privantur. Quod intelligendum est si sine legitima causa longius abfuerint; causæ autem legitimæ à *Trident. c. 1. sess. 21.* quatuor referuntur. 1. Est Christiana charitas, si v. gr. Episcopus vel Parochus, ad componendam pacem, ad sedandas graves inimicitias ab ecclesiis suis discedant, modo tamen eorum absentia ovibus propriis non noceat, quibus ex duplici titulo, charitatis nimir. & justitiæ succurrere tenentur. 2. Est charitas urgens sui ipsius, v. gr. infirmitas corporalis, vel inimicitia capitalis cum Domino loci, vel insidiæ ab infestâ plebe Pastori suo structæ. Tertia est obedientia, debita, v. gr. Si absit mandato sedis Apostolicæ, tales enim cum ecclesiæ universali serviant præsentibus habentur. 4ta denique est evidens

T s

ut li-

utilitas Ecclesiæ, v. gr. si Episcopus vel Paro-  
chus ad defendenda Ecclesiæ suæ jura discedat,  
ad quam referuntur etiam studia, dum *capitulum fi-  
nale* de Magistris, Clericis permittit, ut, si habiles  
sint in Theologiâ vel Jure quinquennio studeant, &  
interea beneficiorum suorum fructus percipere pos-  
sint, videatur Bulla Pii IV. de residentia Episco-  
pali publicata Romæ 13. Septembr. 1560. & incipit  
*de salute gregis.* & Bulla Pii V. edita Romæ 15. Junii,  
1568. quæ incipit. *cupientes.*

QUÆRES 3. An qui excusati sunt à resi-  
dentia quoad fructus præbendales, percipere etiam  
possint distributiones quotidianas? Huic Quæstio-  
ni priusquam respondeam, sciendum est, distribu-  
tiones duplicis esse generis; quædam percipiuntur  
loco præbendarum, ut fit in Ecclesiis quæ non ha-  
bent præbendas distinctas, sed proventus commu-  
nes, ex quibus singulis canonicis certa portio  
singulis diebus, septimanis, mensibus vel annis assi-  
gnatur, etiam quando divinis non interfunt; &  
tales distributiones pro veris præbendis habentur,  
quia aliâ canoniam esset sine præbendâ, & benefici-  
um sine fructibus, quod implicat, Aliæ verò distri-  
butione proprie dictæ & à præbendis distinctæ sunt  
portiones, quæ præter fructus præbendales, quoti-  
die distribui solent illis tantum clericis, qui statu-  
tis horis divino officio interfunt, quæ *in cap. un. b.  
t. in 6.* Victualia vocantur; & de his ultimis pro-  
cedit quæstio, ad quam proinde Respond. licet ij  
qui ex justa causa non resident, fructus præbenda-  
les sive grossos percipiant, distributiones tamen  
amittunt. *Trident. sess. 24 c. 12. de reform.* quæ non  
debentur, nisi qui horis divinis interfunt, vel ex  
justa

justa causa interesse nequeunt, quarum sunt duæ *cit.*  
*cap. un.* scil. infirmitas, & evidens utilitas non pri-  
 vata, sed ipsius Ecclesiæ.

**QUÆRES 4.** Quo ordine contra non re-  
 sidentes sit procedendum? Respond. Qui sine justa  
 causâ absunt, monendi sunt per superiorem, ut ad  
 beneficia sua redeant; si intâ præfixum sibi termi-  
 num congruum non redierint, privandi & alii eo-  
 rum loco eligendi sunt *cap. 8. 9. & ult. h. t.* idque ap-  
 pellatione remota *cap. 4. & 6. h. t. in 6.* quòd si verò  
 nesciatur ubi terrarum Clericus degat, tribus edi-  
 ctis publicis Ecclesiæ ejus valuis affigendis citandus  
 & evocandus est, quisi intra 6. menses à die ultimi  
 decreti, non revertatur, beneficio privetur, *cap. 1.*  
*& 11. h. t.*

## TITULUS V.

De

### Præbendis & dignitatibus.

**QUÆRES 1.** Quid sit beneficium? Respond.  
 Est jus percipiendi fructus, sive redditus  
 ecclesiasticos ratione officii vel servitij, spi-  
 ritualis auctoritate ecclesiasticâ constituti; præben-  
 da autem licet *h. t.* Generaliter pro omni beneficio  
 sumatur significat certam portionem fructuum &  
 proventuum Ecclesiasticorum, quæ cuique benefici-  
 ato quotannis assignari solet. *cap. 9. de consuet. &*  
*cap. 9. h. t.* ex quo patet tria in omni beneficio ec-  
 clesiastico distinguenda esse; primò officium, sive  
 ipsa obligatio quâ quis tenetur spirituales aliquam  
 functionem obire, v. gr. sacramenta administrare,

T 6

horas

horas cantare, quæ obligatio est aliquid merè spirituale non tamen beneficium, sed fundamentum & causa beneficii; nam beneficium datur propter officium *cap. fin. de rescrip. in 6.* Secundò, jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, quod licet secundum respectatum temporale sit, fit tamen spirituale propter officium vel ministerium ex quo oritur, & cui tanquam radix annexum est. Tertiò, ipsi fructus sive redditus ex bonis Deo dicatis sive ecclesiasticis provenientes, qui sunt aliquid merè temporale, ut igitur jus percipiendi redditus propriè dicatur beneficium, requiritur. 1. Ut officium autoritate ecclesiasticâ, v. gr. Episcopi sit constitutum sive erectum, vel confirmatum, quia nec laico nec Clerico competit potestas ejusmodi jus percipiendi fructus spirituali officio annectendi; unde quod ab homine privato non interveniente ejusmodi auctoritate pro celebrandis, v. g. missis relictum est, non pro beneficio ecclesiastico, sed vel propria donatione, vel pro legato æstimari debet. 2. Requiritur ut jus illud sit perpetuum, id est, ut non pro certo tempore, sed pro futuris perpetuis temporibus fundatio facta, adeoque beneficium vi institutionis & erectionis perpetuum sit; ex quo constat beneficia manualia, id est ad nutum conferentis revocabilia, vera beneficia dici non posse; Cujus ratio est 1. quod requiratur perpetuitas non solum in beneficio, sed etiam in beneficiato, id est, ut sine legitima causâ in S. S. Canonibus expressâ, beneficio privari nequeat, uti expresse habetur. in *capit. ex parte de Cler. agrot.* & in *Cano. Sanctorum dist. 70.* in quo *Concil. Placentinum sub Urbano II.* celebratum ait, in quâ Ecclesiâ quilibet institutus est in eâ perpetuo, id est,

ut

ut inquit glossa, dum vivit, perseveret. Ratio est  
 2. Quod verum beneficium sit titulus sufficiens  
 pro suscipiendis ordinibus, & tamen beneficium  
 manuale obtinens ordinari nequeat. 3. quod Cleri-  
 cus sæcularis impetrans à Papâ beneficium, vi ejus-  
 gratiæ impetrare nequeat beneficium manuale ut  
 docet Sanchez. l. 7. cap. 27. n. 9.

QUÆRES 2. Quæ sit beneficiorum divi-  
 sio? Respond. Beneficia variè dividuntur. Primo,  
 in majora & minora. Majora sunt Papatus, Patri-  
 archatus, Episcopatus, Abbatia: Minora sunt alia  
 beneficia his inferiora. Secundo, in sæcularia &  
 regularia. Sæcularia sunt, quæ vel ex fundatione,  
 vel consuetudine, vel 40. annorum præscriptio-  
 ne conferri debent Clericis sæcularibus qui nul-  
 lam regulam professi sunt, sed Deo in sæculo mili-  
 tant. *cap. 5. h. t. in 6. 5. cap. cum Ecclesia de caus. pos-  
 sess. juncto. cap. vigilantibus de præscription.* Omnia autem  
 beneficia censentur sæcularia etiam si eorundem col-  
 latio spectet ad regularem prælatum, nisi contra-  
 rium probetur; regulare est, quod religiosis  
 tantum conferendum & ab iis administrandum est,  
 licet quandoque beneficium regulare si abbatias &  
 alia beneficia administrationem habentia excipias  
 etiam Clerico sæculari conferri possit, si taliter pro-  
 motus intra 6 menses professionem emittat. *cap. 27.  
 38. de elect. Trid. sess. 25. cap. 21. de regulari.* Tertio,  
 in simplicia & duplicia. Duplicia dicuntur illa, quæ  
 curam Animarum, administrationem, dignita-  
 tem, personatum, vel officium adjunctum habent;  
 est autem dignitas, præminentia sive Administra-  
 tio rerum Ecclesiasticarum cum Imperio ac Jurisdic-  
 tione;

Etione, tales sunt Præposituræ, Decanatus, Archidiaconatus, & Abbatia regulares & sæculares. personatus est præminencia sine jurisdictione, puta locus honorificus in choro, in processionibus, &c. in cantoria. officium est administratio rerum ecclesiasticarum sine præminentiâ, Jurisdictione & honore; tales sunt sacristæ & custodes. Reliqua omnia dicuntur beneficia simplicia. Quarto, dividuntur in curata & non curata; illa curam animarum annexam habent, hæc non; & in dubio beneficium præsumitur non curatum, adeoque afferenti incumbit probatio. Quinto, alia sunt manualia alia non manualia; manualia sunt, quæ ad nutum conferentis revocari possunt; & proprie loquendo beneficia non sunt; cætera non manualia dicuntur. Sexto, in monocula. Monoculum est, quod quis unice conferret, adeo ut alterius beneficii collationem non habeat; ex quo quid non monoculum sit, facile paterebit. Septimo, in collativa & electiva; illa per provisionem patroni liberam conferuntur, hæc vero per electionem capituli à superiore confirmandam obtinentur. Aliæ etiam ab auctoribus afferuntur divisiones, veluti quod quædam sint patrimonialia, alia non patrimonialia, alia villæ muratæ, alia non; alia Juris patronatûs, alia liberæ collationis; verum operæ pretium non est iis multum immorari. reliqua quæ hic desiderari possent, in titul. 7<sup>imo</sup>, utpote loco proprio expediemus.



## TITULVS VI.

De

## Clerico ægrotante vel debilitato.

**QUÆRES 1.** An clericus ægrotans percipiat omnes beneficii sui fructus, & distributiones quotidianas? Resp. Affirm. licet enim beneficium detur propter officium ut *est. præcedente* diximus, ideoque qui hoc præstare nequit, obtinendi beneficii in capax sit, tamen postquam Clericus in beneficio semel investitus est, non removetur, sed percipit omnes fructus, imò & distributiones quotidianas, licet ob gravem Infirmi-  
tatem, senium mutilationem, officio suo fungi nequeat *cap. 1. §. 2. h. t.*

**QUÆRES 2.** Qualis infirmitas requiratur, ut clericus distributiones lucrari possit. Respond. requiritur ut sit infirmitas gravis, non morbus scholaris, quæ vel per iuratum ipsius infirmi asser-  
tionem, vel per attestationem medicorum, vel denique per aspectum corporis probatur, & semel probata tam diu præsumitur, donec contrarium probetur. *mascardus. de probat. conclus. 879.* neque sufficit sola infirmitas, sed insuper debet esse im-  
mediata causa absentia; hinc si quis dum sanus est non solet interesse divinis, etiam dum ægrotat, distri-  
butionibus carebit *Covarr. l. 3. par. resol. c. 13. n. 8.*  
& alij communiter.

**QUÆRES 3.** An dicta procedant, tam de beneficiatis simplicibus, quam curam anima-  
rum habentibus? Resp. Ea de beneficiatis simplici-  
bus

bus intelligenda esse. Alia longè ratio est Curatorum; horum enim absentia ex quacunque demerita causâ procedat, cum animabus subditis noceat, per Coadjutorem suppleri debet, assignatâ illi ex redditibus Ecclesiæ portione congruâ, quâ honestè sustentari possit *cap. fin. b. t.* Coadjutor verò alius temporalis, alius cum futura successione; temporalem cuiusvis assumere licet; cum futura successione autem non nisi ex gravibus causis, & quidem cum consensu superioris, ad quem spectat confirmatio, sic in assumendo Coadjutore ab Episcopo requiritur consensus Pontificis; in aliis Prælati inferioribus sufficit ordinariorum consensus. hanc materiam de Coadjutoriis, in praxi utilissimam, aut in iure communi ignotam & à paucissimis auctoribus fundamentaliter traditam, ut bene intelligas, pauca hæc observabis.

## §. UNICUS.

De

### Coadjutoris germaniæ.

**Q**UÆRES I. Quis dicatur coadjutor, & quid pro eo assumendo requiratur? Resp. Coadjutor est persona ab Episcopo electa in coadjutorium officii pastoralis, cui ipse ex causâ solus præesse nequit; qui ut spem successionis habeat, necesse est Consensus Pontificis accedat. Coadjutor enim conceditur ex merissimâ gratiâ Pontificis, ac proinde negari potest Episcopo & toti capitulo petentibus, ut igitur petitus Coadju-

Curator à Pontifice admittatur, & sic de futurâ successionem reddatur securus tria requiruntur. 1mo. Necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiæ Trident. sess. 25. cap. 7. de reform. 2do. consensus coadjuti, id est Episcopi petentis coadjutorem, 3io. consensus capituli vel totius vel maioris ejus partis. circa quæ tria requisita.

QUÆRES. 2. Qualis debeat esse utilitas? Resp. utilitas prædicta debet esse concernens majus servitium Dei vel Ecclesiæ; unde exprimendæ non sunt rationes Coadjuto, vel Coadjutori utiles privatim, nec etiam motiva utilitatem solummodo temporalem spectantia; v. g. tenuitatem reddituum &c. sed exprimi debent rationes publicæ v. g. adversa valetudo Coadjuti, difficultates & pericula timenda ex sedis vacantia, resistantia Inimicis & præcipuè hæreticis bona Ecclesiæ in valetudine faciendâ, Schismata in electione timenda cum gravissimo damno ecclesiæ quibus prævenire necesse sit, calamitas publica cui subveniri possit à tali persona &c. & hæc necessitas publica & defensio ecclesiarum germaniæ ab hæreticis, unicum ferè motivum est quare in germania concedatur non solum pluralitas beneficiorum sed & Episcopatum; unde hoc motivum in omni fere gratiâ exprimi debet; dixi quod debeat exprimi, hoc enim sufficit licet evidenter non proberetur, quia in hoc germani habent intentionem pro se fundatam in jure ex his quæ scripsit Cardinalis pallavic in *histor. Concil. Trid. lib. 24. c. 12. n. 11* & *sagnon. in cap. dudum de elect. n. 29.*

QUÆRES. 3. Qualis in Coadjuto requiratur consensus? Respond. Consensus Coadjuti potest dari vel indifferenter, consentiendo nim,

in eum quem capitulum nominaverit, quem tamen à capitulo postea nominatum non tenetur admitti, si personam ejus coadjuto non placuerit, propter periculum captandæ mortis, & quia invito non datur Coadjutor; vel datur consensus super certa aliquâ personâ, & tunc capitulum aliam nominare nequit, ex ratione dictâ.

**QUÆRES. 4.** An & qualis requiratur consensus in capitulo? Resp. Consensus capituli non debet esse formalis vel capitulariter factus, sed sufficit undecunque collectus, ut scribit *matthæus concordatorum germaniæ n. 230. § n. 180.* hinc necesse non est, ut capitulares capitulariter congregati eligant aut postulent personam in Coadjutorem assumendam, quia modus iste locum habet, sede vacante, undè huc intrant regulæ canonicæ, de his quæ fiunt à majori parte capituli; ex quo sequitur, siquis aliàs canonicè impeditus in coadjutorem postuletur, non esse necessarias duas tertias votorum, sed sufficere consensum coadjuti & majoris partis capituli; duæ tertiæ enim votorum requiruntur tantum in postulatione sede vacante factâ, ita judicatum Romæ anno 1694. in coadjutoria moguntina pro majori claritate.

*Nota 1.* Pro majori facilitate impetrandi Coadjutoris, consultissimum est, ut Coadjutus, priusquam à capitulo nominetur certa persona, supplicet pontifici an hanc vel illam personam, casu quo eligenda foret, confirmare velit, sic enim cognitâ voluntate Pontificis, longè faciliiori modo negotium accelerare poterit.

*Nota, 2.* in instrumento coadjutoria non debent

bent capitulares, dicere se eligere vel postulare & postulationis vel electionis confirmationem petere, hæc verba enim displicent romanis & sæpius ansam præbent reiicendi Coadjutoris; sed ponere debent, se consentire, & petere, ut Pontifex dignetur hujusmodi Coadjutorem concedere.

*Nota* denique 3. Instantia vel preces quæ offeruntur Pontifici in ordine ad habendam coadjutorem, fieri debent nomine coadjuti & capituli; quia si coadjutor ipse petat, tanquam ambitiosus reiicitur. Exemplum fuit anno 1697. In coadjutoria NN. in qua agens certi cujusdam principis qui coadjutoriam querebat, conceperat supplicam nomine ipsius principis tanquam coadjutoris, quod nisi melioribus consiliis fuisset emendatum, tota res abiisset in vanum. in paucis hisce totam habes coadjutoria substantiam, & procedendi methodum, quam, dum Coadjutorem elegeris, observabis.

## TITVLVS VII.

### De Institutionibus.

**QUÆRES** 1. Quid sit institutio Resp. Institutio proprie dicta est concessio sive collatio beneficii non libera, quæ sit ad præsentationem patroni; hæc ad obtinendum beneficium adeo necessaria est, ut si quis absque eâ, beneficium occuparet, jus ad rem per præsentationem obtinere amitteret. *cap. 1. de R. i. in 6* ubi, dicitur beneficia non nisi canonicâ Institutione acquiri. ut verò sit canonica, requiritur potestas in instituyente, & habilitas ex parte Instituenti;

U 2

QUÆ-

**QUÆRES. 2.** Ad quem spectet jus instituendi? Respond. Jus instituendi Jure Communi competit ordinario, in cujus diocesi beneficium institutum est, *cap. 3. h. t. & c. 1. eod. in 6.* Jure vero speciali videlicet ex privilegio, fundatione, vel præscriptione, hoc jus alijs etiam Prælati, Episcopo inferioribus competere posse constat ex *cap. 6. h. t.* quibus Capitulum, sede vacante, licet beneficia conferre non possit, instituere tamen poterit præsentatos quia hæc non est mera gratia, cum institutio supplet jus ad beneficium in præsentato; quod si in eadem institutio competit, ad beneficium tale præsentatus fuerit, nec à se ipso, nec à delegato, sed ab Episcopo Archi-Episcopo, vel à Pontifice instituendus erit. Licet autem tempus faciendæ institutionis in Jure determinatum non sit, eam tamen ultra duos menses differri non posse communis est DD. sententia; quod si Episcopus præsentatum ad curam animarum intra hoc bimestre non instituerit, jus instituendi pro eâ vice ad Archi-Episcopum devolvitur; Institutio quandoque etiam sumitur pro investitura, quæ nihil aliud est, quam deductio in corporalem beneficii possessionem, quæ investitura fit per impositionem biretti, ipsa vero actualis possessio varia est, pro varietate beneficiorum; Episcopi per possessionem in summo altari; Abbates per inductionem in Ecclesiam & collocationem in sede abbatiali; canonici per assignationem stalli in choro & Capitulo actualem nanciscuntur possessionem.

**QUÆRES. 3.** In quo differat institutio proprie dicta à collatione? Respond. Differt in hoc quod hæc fit libera beneficii vacantis concessio facta ab habente potestatem; illa vero ut necessaria,

cum

cum supponat præsentationem patroni, quam, nisi indignus præsentatus fuerit, ordinarius rejicere nequit.

**QUÆRES 4.** An Clericus qui sine Canonica institutione adeoque nulliter, vel etiam violentè Parochiam adeptus est, validè nihilominus confessiones excipere, & Parochianorum matrimoniis assistere possit, dum ipse publicè pro verò Parocho habetur, & vitium ejus ignoratur? Non desunt quid negant, 4. Moti rationibus. 1. quod secundum omnes talia invalida essent, si non interveniret error Parochianorum; error autem ea quæ Jure invalida sunt, validare nequeat cum absurdum sit, jus ex erroribus nasci. 2. Quòd administrans Parochiam sine Institutione, nequidem habeat titulum coloratum, quem tamen contrariæ opinionis auctores requirunt, ut error communis jus facere possit. 3. Esto quod error communis patrocinetur in foro externo propter textum in *l. barbarius ff. de off. prætorum* & *can. infamis. c. 3. quest. 7.* Aliud tamen de interno dicendum clarè colligitur ex *cap. dudum. § 4. de Elect.* ubi à Clerico in Parochia ipso Jure amissa Sacramenta administrante animæ miserabiliter deceptæ & dispendium passæ dicuntur, quod verum non esset, si administrata ab eo Sacramenta, valida fuissent. 4. Quia si error communis jus faceret & tribueret jurisdictionem, validæ etiam forent absolutiones collatæ à non Sacerdote, imò à laico & fœminâ, si hæc communi errore pro viro & Sacerdote haberetur, quod tamen omnes negant. Sed his non obstantibus ad quæstionem cum probabiliori DD. sententiâ Respond. Valida, esse tam matrimonia quàm absolutiones; Ratio est, quòd

tali casu propter salutem animarum censeatur Ecclesia supplere defectum Jurisdictionis sive eam tribuere ad sacramenta administranda, *argum. canon. infamis, Gl. barbarus cit.* si enim populus Romanus vel princeps iudici tantum putativo, qualis erat barbarus seruus, ut acta eius essent valida, jurisdictionem tribuere potuit propter utilitatem publicam & quia id humanius est, ut *cit. lex loquitur*, etiam imò multò magis tali casu eam tribuet Ecclesia quæ multò humanior est ega fideles suos, eorum saluti plus intenta, quam ullus secularis princeps, vel magistratus. ad primam & 2dam rationem in contrarium facilis est responsio, quia valor Sacramentorum in tali casu non tam errori populi vel titulo tribuendus est, quam publicæ utilitati & necessitati ecclesiæ, cuius benignitas & sollicitudo matera erga filios id suadet, ut in casu interveniente ejusmodi erroris communis filiorum saluti consulatur ad tertiam rationem variè respondent Doctores, mihi præ aliis placet Responsio abbatis, qui dicit animas dici deceptas quantum erat ex parte parochi ipso jure privati, non verè & quoad effectum. ad 4tam, Resp. negando illatum: quia ecclesia supplere tantum censeatur & potest defectum ejus quod jure tantum ecclesiastico ad valorem sacramentorum requiritur qualis est jurisdicatio, non autem ejus quod jure divino necessarium est.

QUÆRES 5. An unus clericus in pluribus beneficiis institui possit sive an valida sit & licita pluralitas beneficiorum? subtilis hæc chorrea est, quàm multum tangere non convenit, cum sonum edat, multorum auribus ingratiſſimum; ne tamen quidquam, quod scitu necessarium est, præterite videatur.

dear, suppositis quibusdam, dubium resolvã. Igitur  
*Suppono primo*, ordinariè singula beneficia singulis conferenda esse per text. cap. 37. b. t. in 6. Eò quòd omne beneficium ex primâ fundatione suâ annexum habeat officium & residentiam personarum, quibus una persona satisfacere nequit; Et idèd plura fundata sint beneficia, ut per plures Ecclesiæ ministros cultus divinus esset frequentior, & major laudis divinæ promotio.

*Suppono secundo*. Beneficium aliud esse sufficiens, aliud non; Sufficiens est quod congruam præbet beneficiato sustentationem; insufficientis quòd ad Clericum honestè sustentandum non sufficit.

*Suppono tertio*. Alia beneficia esse compatiblea, alia incompatiblea, incompatiblea sunt, quæ vel ex Jure naturali, divino vel ecclesiastico, vel ex consuetudine, statuto vel fundatione, simul obtineri & retineri non possunt: compatiblea verò quæ simul retineri possunt. incompatiblea rursus alia sunt primi alia secundi generis. Primi generis dicuntur, quæ ita incompatiblea sunt, ut seclusè dispensatione obtento secundo beneficio, ipso jure vacet primum, talia sunt, Prælaturæ, dignitates, personatus, & beneficia curata, tam sæcularia, quam regularia; item duo beneficia uniformia sub eodem recto, v. gr. duo Canonicatus &c. Secundi generis incompatiblea sunt, quibus obtentis beneficium prius obtentum non vacat ipso jure, sed unum ex duobus pro arbitrio impetrantis dimitti debet. Quibus suppositis ad propositam quæstionem Resp. 1. Plura beneficia incompatiblea primi generis sine dispensatione Pontificis nec licitè nec validè retineri posse, cap. 28. de præbend. & extravagant.

*execrabilis eod. tit. Trident. sess. 7. cap. 4. de reform.* Ob-  
 tento igitur beneficio secundo incompatibili & ha-  
 bitâ pacificâ ejus possessione ipso jure vacat pri-  
 mum, & competit ex tunc ordinario collatori po-  
 testas, illud alteri personæ conferendi. quod si quis  
 contra hanc SS. Canonum & Concilii Trident. pro-  
 hibitionem plura beneficia taliter incompatibilia  
 simul retinere præsumserit, omnibus beneficiis  
 ipso facto privatus existit. Resp. 2. Etiam bene-  
 ficia incompatibilia secundi generis simul retineri  
 nequeunt, sine dispensatione Pontificis, hâc tamen  
 observatâ differentiâ, quòd obtento secundo incom-  
 patibili prius non vacet ipso jure, sed provisus unum  
 ex duobus infra mensem dimittere teneatur. *dist. ex-  
 travag. execrabilis.* Respond. 3. Plura beneficia  
 simplicia, quorum unum ad honestam sustentatio-  
 nem non sufficit, absque dispensatione simul reti-  
 neri possunt, modò personalem residentiam non  
 requirant, nullo tamen Jure permittitur quis plura  
 quàm duo beneficia possidere.

**OBJICIES.** Si dispositio SS. Canonum, &  
*Conc. Trid.* tam strictè observanda veniat, quid ergò  
 dicemus de praxi Germaniæ S S. Canonibus hac in  
 re parte contrariissimâ? Rationem nondum inveni-  
 re potui, quâ excessiva pluralitas beneficiorum Ger-  
 maniæ excusari posset; sunt quidam, qui hanc SS.  
 Canonum & Conciliorum dispositionem hoc in-  
 passu in Germania non esse receptam aut contrariâ  
 consuetudine abrogatam asserunt; & inde pluralita-  
 tem beneficiorum ipsi etiam naturali juri repug-  
 nantem cohonestare conantur; verùm est ratio pa-  
 rum relevans, quam nec defendo nec rejicio, sed  
 cujusvis Conscientiæ eam dijudicandam relinquo.

QUÆ

**QUÆRES 6.** Quinam de Jure communi beneficia liberæ collationis conferant? Respond. Quemvis ordinarium esse collatorem beneficiorum suæ diœceseos, quam potestatem primitus sine ullâ contradictione exercebant; hodiè verò per concordatam Germaniæ Pontifex 6. menses habet, videlicet Januarium, Martium, Majum, Julium, Septembrem & Novembrem, quibus mensibus ipse de beneficiis vacantibus providere solet; quæ reliquis mensibus vacant, ordinariorum collationi relicta sunt, quod jus conferendi alternativum vocatur.

**QUÆRES 7.** Intrà quod tempus collatio facienda sit? Respond. Patronus laicus habet quadrimestre; ecclesiasticus semestre, quod incipit currere à die notæ vacationis. Pontifex verò non nisi trimestre habet, intrà quod si non appareat provisio Pontificis in loco beneficii, ordinarius vel alius ad quem illius beneficii dispositio pertinet, de illo liberè disponere poterit. *concordata Germaniæ, num. 5.* Quod tamen constitutione speciali Gregorii XII. eatenus modificatum est, ut Provisio Papæ ultimo die hujus trimestris facta teneat, etiamsi ejusdem provisionis insinuatio in loco beneficii propter distantiam fieri non possit. quia verò prædicta constitutio emanavit, inconsultâ natione Germanicâ, cujus consensus necessario requirendus erat, cum contractus inter ipsam & Pontificem initus, unius partis consensu nec tolli nec modificari potuerit, ideò exiguam in Germaniâ meretur Auctoritatem.

**QUÆRES 8.** Quæ beneficia sedi Apostolicæ vigore Concordatorum reservata censeantur? Respond. Primo reservantur illi in Ecclesiis cathedrali

dralibus dignitates post Pontificalem majores & in  
Ecclesiis collegiatis dignitates principales; quæ  
ex omnium sententiâ sunt præposituræ. *Nicolai*  
*ad concord. german. tit. 1 §. 2. §. 10.* quæ quocumque  
menſe vacantes reſervantur Pontifici niſi eligibile  
fuerint; ſecundo reſervantur omnia beneficia ſe  
cularia & regularia, in prædictis 6. menſibus va  
cantia, etiamſi monocula fuerint, *Nicolai, diſt. 11*  
*dub. 2. num. 3.* Tertio beneficia per promotionem  
ad Episcopatum vacantia, idque ſpeciali Bulla Pij  
& Reg. xxvi. Cancellariæ. 4. Beneficia iuris pa  
trônatus Eccleſiaſtici non tamen laici, tamen enim be  
neficia à reſervatione libera ſunt etiamſi in curiâ  
vacare contigerit.

**OBJICIES.** Papa habet oſto menſes per regu  
lam nonam cancellariæ; ergo non tantum ſex. Reſp.  
Habet oſto menſes in Italiâ concedo in Germaniâ  
Nego; in Germaniâ enim vigent conſuetudines, quæ  
in dictâ regulâ expreſſè ſunt reſervata.

**QUÆRES 9.** Quid ſint preces primariæ, &  
cui competant? Reſp. Preces primariæ, ſunt gra  
tia Imperatori à Pontifice conſeſſa, vigore cujus,  
dum ad imperium aſſumitur, jus habet ordinariis  
collatoribus in Imperio perſonas idoneas ad bene  
ficia vacatura nominandi, competit autem ſoli Im  
peratori, non aliis, uti Bulla Pauli V. quæ incipit  
*cum poſt factam.* in quâ Pontifex Ferdinando II. Im  
peratori Romano gratiam primariarum precum con  
ceſſit, manifeſtè docet. Ad imitationem tamen precum  
Imperialium, preces Episcopales ſunt introductæ  
de facto, vigore quarum Episcopi & Archi Episco  
pi noviter electi & confirmati, non aliter atque  
Imperatores, in quavis Eccleſiâ Diœceſeos ſuæ cer  
tam

tam personam nominant, ad beneficium proximè  
vacaturum promovendam; quarum precum, cum  
in Jure fundatæ non sint, nec scriptam de iis legem  
habeamus, vis & efficacia ex solâ locorum; consue-  
tudine desumenda erit.

**QUÆRES 10.** Quænam beneficia preci-  
bus non afficiantur? Resp. Non afficiuntur: 1. be-  
neficia Juris Patronatûs laici. 2. officia quæ ca-  
dunt in laicum. 3. hospitalia. *Clement. per litteras  
de præbend.* 4. beneficia manualia. *Wames. cons. 231.  
num. 9. de præbend.* 5. beneficia vacantia ex causa  
permutationis. 6. beneficia monocula. de quibus  
vide. *Joan. à Chokier in præc. primar. sect. 2.*

**QUÆRES 11.** An Papa concordatis Ger-  
manicæ derogare possit? Resp. Eum ex plenitudine  
potestatis. suppositâ justâ causâ concordatis de-  
rogare posse, probabilis est Doctorum sententia, &  
ita sæpius in Rotâ Iudicatum fuit. Quam sententi-  
am defendit, *Wames. cons. 251. vol. 1. Brand. ad con-  
cord. German. quest. 8.* Contrarium tamen non im-  
probabiliter defendunt alii, triplici ratione per-  
suasi. 1. Ea quæ habent vim pacti, revocari neque-  
unt, nisi consentientibus illis de quorum agitur præ-  
judicio, vel quibus ius ex tali pacto quæsitum est.  
Sed concordata habent vim pacti, uti clarum est, &  
demonstrat *Hieron. Gonzal. ad Reg. de alternat. §. 67.  
Gomes. ad regul. cancellar.* ergo non nisi de consensu  
nationis Germanicæ revocari possunt. 2. Etiam  
Princeps contrahendo obligatur naturaliter & civi-  
liter, cum in contractibus consideretur ut privatus.  
*l. sicut. Cod. de oblig. & action.* Sed hæc obligatio ex  
contractu orta non nisi de consensu utriusque par-  
tis contrahentis tolli potest; ergo. 3. Contractus  
sunt

sunt Iuris gentium; sed Iuri gentium Princeps  
rogare nequit. *cap. 1. de probat. l. ex hoc iure ff. de iust.  
jure, ergo nec Papa concordatis.*

## TITULUS VIII.

De

### Concessione præbendæ & Eccle- siæ non vacantis.

**Q**UÆRES I. Quot modis beneficia vacare  
contingat? Respond. Beneficia vacare de-  
cuntur cum Domino carent; vacatio au-  
tem beneficiorum 4. modis contingere potest. Pri-  
mo, per mortem naturalem ipsius beneficiati. *cap. su-  
scriptum de rescript. in 6.* Ad hoc autem ut per mortem  
fiat vacatio, requiritur, ut mortuus jus in re habue-  
rit, aliàs enim si ante institutionem vel collatio-  
nem adeoque ejus Dominio nondum obtento mo-  
reretur, beneficium non per ejus sed antecessoris  
mortem vacare censeretur. *Covarruv. lib. 3. vari. res.  
cap. 16. nu. 3.* Secundo, per dispositionem Iuris. tali  
modo vacat, 1. Beneficium prius obtentum per  
assecutionem alterius incompatibilis. 2. per profes-  
sionem approbatæ religionis. *cap. beneficium de regula-  
ribus in 6.* 3. Per matrimonium validè contractum.  
4. Si obtinens Episcopatum consecrationem ultra  
6. menses culpabiliter differat, vel provisus benefi-  
cio Parochiali intrà annum ordinem Sacerdotalem  
non assumpserit. *cap. licet & cap. quam sit de elec. in 6.*  
5. Si quis possessionem beneficii occupet violenter.  
6. Si Prælatus bona Ecclesiæ, non servatâ Iurisfor-

ma alienaverit. 7. Si committat crimen, cui privatio beneficii ipso iure annexa est; Talia crimina sunt hæresis, schisma, sodomia sæpius exercita, percussio Episcopi vel Cardinalis, homicidium qualificatum v. gr. Rectoris vel alterius conbeneficiati suæ Ecclesiæ, falsatio litterarum Apostolicarum, simonia confidentialis, acceptio pecuniæ pro examine Parochi, &c. de quibus vide *Barbos. de jure ecclesiast. lib. 3. cap. 14. num. 1.* Tertio vacant beneficia per sententiam Judicis condemnatoriam ob admissum crimen, cui pœna privationis à Iudice est infligenda; sic beneficiis suis privandi sunt homicidæ simplices, adulteri, concubinarij non resipiscentes, perjuri, blasphemæ & alij quos vide apud *Vallens.* Quarto, denique per resignationem liberè factam.

**QUÆRES 2.** Quid præsentè titulo circa beneficiorum vacationem sit observandum? Respond. Quatuor potissimum *hoc tit.* statuta sunt. 1. Ut non conferatur beneficium, nisi verè vacaverit; Esset enim ejusmodi collatio ipso jure irrita, & qui scienter tale beneficium acceptaret, etiam dum postmodum vacans esset, illud impetrare non posset. 2. Beneficium non vacans nemini promittatur, quòd idem de promissâ præsentatione dicendum est. *cap. 13. h. t.* Promissio enim esset in valida, idque propter periculum captandæ mortis, *cap. 2. & 3. h. t. in 6.* 3. Ob eandem rationem cautum est ne Episcopus vel alius, ius vel facultatem beneficia vacatura conferendi alteri concedat. 4. Denique ut collatio beneficiorum fiat intra debitum tempus, ne diutina beneficiorum vacatio damnosa sit Ecclesiis & animabus periculosa; de quo *tit. præced. diximus.*

TITULUS

## TITULUS IX.

Ne sede vacante aliquid innovetur.

**Q**UÆRES. Quænam liceant capitulo sede vacante? Respond. Quamvis sede vacante per mortem, renuntiationem vel translationem Episcopi, jurisdictio & potestas quæ in rebus tam spiritualium, quam temporalium administratione competit Episcopo ad Capitulum spectat, quædam tamen sunt, quæ Capitulo sede vacante inhibentur. Primo quidem inhibita est illi collatio beneficiorum ad liberam Episcopi collationem spectantium, etiamsi ad talem collationem requireretur consensus Capituli, *cap. un. §. cum vero h. in 6.* Ratio est, quod talis collatio sit gratia quædam & donatio, quæ capitulo concessa non est; collationes tamen necessarias facere, v. gr. præsentatos instituere, similiter & præsentare ad beneficium vacans, si præsentatio Episcopo & Capitulo simul competat, non prohibetur. Secundo inhibita est collatio beneficiorum per negligentiam ab inferioribus Collatoribus ad Episcopum devoluta; quia talis collatio est pars quædam fructuum mensæ Episcopalis, fructus autem reservandi sunt successoribus; Et aliàs notum est, Capitulum sede vacante non nisi ea beneficia conferre posse, quorum collatio à jure concessa reperitur; de Casu autem devolutionis non extat Canon. Tertio, sede vacante Capitulum derogare nequit juribus Episcopatus

parus vel alterius Prælatuæ, & in ejus præjudicium  
ali uid disponere, vel diminuere redditus Episco-  
pales *cap. 27. de luresur.* Quarto, circa res & jura  
Ecclesiæ planè nihil innovare potest, non tantùm  
alienando, sed nec litem inchoando, nec inchoa-  
tam litem prosequendo; ratio est, quod Ecclesia  
gaudeat iure minoris per *text. cap. 1. de Ininteg. vestis.*  
undè sicut iudicium & sententia contra hunc in-  
indesensum lata non tenet. *l. 25. ff. de re Jud* sic nec  
tenebit contra Ecclesiam defensorem carentem. Quin-  
to, Capitulum unionem Ecclesiæ cum cathedrali  
unitæ dissolvere nequit. Sexto, concedere nequit  
litteras dimissoriales ad alium Episcopum novo ju-  
re *Concil. Trid. sess. 7. c. 10. de reform.* Septimo deni-  
que agere nequit ea quæ competunt Episcopo non  
tanquam ordinario, sed tanquam delegato Ponti-  
ficis, materiam hanc fusè & benè deductam vide a-  
pud *Quarant. in summa Bullar. verbo Capitulum sede*  
*vacante.*

**OBIICIES.** Sede vacante tota potestas E-  
piscopi spectat ad capitulum. *cap. 11. & 14. de ma-*  
*yorit & obed.* ergò licitè facit quidquid Episcopus fa-  
cere poterat; Respond. Tota potestas Episcopi  
in iis quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, & non  
reperiuntur expressè prohibita spectat ad Ca-  
pitulum Conc. in aliis Nego. *Barbos.*

*h. s. cap. nulla. nu-*  
*mero 3.*



TITUL

## TITULVS X.

De

## His quæ fiunt à Prælatiſ sine conſenſu Capituli.

**QUÆRES 1.** An & quibus caſibus Prælati Eccleſiæ egeat in rebus gerendis conſenſu Capituli? Reſpond. Quemadmodum Canonice utilitati eccleſiarum conſulere volentes habuerunt ſalubriter, ut ſede vacante nihil in earum præjudicium à Capitulo geri poſſit, ita ob eandem utilitatem inhibuerunt, ne in rebus gravioribus Prælati ſine conſenſu Capituli quidquam agerent, quòd in Eccleſiarum ſibi Commiſſarum damnum redundare poſſet. Varii autem numerantur actus ad quos validè celebrandos Prælato neceſſarius eſt Conſenſus Capituli. Primo, quidem ad alienandas res immobiles, vel etiam mobiles, ſed pretioſas quæ ſervando ſervari poſſunt, indiget Conſenſu Capituli, ſine quo alienatio invalidatur. *cap. 1. § 3. b. t.* Secundo ad faciendam præſentationem, vel collationem beneficij quæ communiter ad Episcopum & Capitulum pertinet. Tertiò, ad faciendam perpetuam unionem vel incorporationem Eccleſiarum, maximè Parochialium; *cap. 5. § 9. b. t.* quia hæc eſt alienatio perperua quæ ratificatione capituli roborari debet.

**QUÆRES 2.** Quid interſit inter conſenſum Capituli, & ejus conſilium tantum? Reſpond. Multum intereſt, an ad valorem actus requiratur Conſenſus vel Conſilium tantum; ſi enim neceſ-

ſarius

farius sit consensus, Episcopus sequi tenetur id quod major pars Capitularium præsentium iudicavit; si autem Consilium solummodò requiratur, satisfaciet, si super re gerendâ cum Capitularibus consultationem instituat, licet eorum Consilium non sequatur, uti patet ex *cap. cum olim. de arbitr. & cap. 52. de elect.*

**QUÆRES 3.** An requiratur consensus Capituli expressus, an vero sufficiat tacitus? Tunc sufficere colligi potest ex *cap. 2. h. t.* Ubi pro firmâ habetur concessio decimæ ab Abbatisâ facta, Capitulo hanc concessionem sciente & non contradicente; quo non obstante. Resp. Cum *gloss. in cit. Capit. Sc.* Consensum expressum requiri propter textum in *cap. 1. h. t.* Quod dicit donationem cum collaudatione & subscriptione capitularium faciendam esse, quibus verbis, consensus expressus insinuat, ut patet consideranti. ad textum *Capit. allegat.* Respond. *Capitul.* prædictum non loqui de concessione decimæ sed collatione beneficii, ut ex integrâ capituli lectione patebit; vel responderi potest, quæstionem esse de locatione decimarum ad brevè tempus, quàm sine consensu capituli fieri posse communis est Doctorum sententia.

**QUÆRES 4.** An requiratur consensus capitulariter collectus, vel an sufficiat seorsim petitus? Respond. Sufficere consensum seorsim petitum; Ratio est quòd consensus capitulariter collectus sit specialis in Electionibus, in aliis verò actibus nullibi reperiatur præceptus. *Sylv. V. alienatio, quæst. 5.*

**OBJICIES.** Requiritur consensus capituli. Sed consensus capitularium seorsim petitus

X

non

non est consensus capituli, sed singulorum sive privatus; Ergo. Respond. Requiritur consensus capituli capitulariter congregati, Nego. Consensus capituli quomodocunque collectus, Conced. Si consensus seorsim petitus non est consensus capituli capitulariter congregati Conced. Quomodocunque collectus Neg. min & conseq.

QUÆRES 5. An sufficiat consensus capituli alienationi factæ postea superveniens? Resp. Sufficere, taliter quidem ut accedens consensus retrotrahatur ad tempus factæ alienationis; Syl. loc. cit. num. 11. § 13.

## TITULUS XI.

De

### His quæ fiunt à majori parte Capituli.

QUÆRES 1. Quid præsentis titulo intelligatur nomine capituli? Resp. Nominis capituli veniunt Ecclesiarum sæcularium Canonici collegialiter congregati, & saltem in Sub-Diaconatus ordine constituti, juxta Clem. 2. de aetate qual. & ord. pres. & Trid. sess 32. 22. c. 4. de reform. in ecclesiis autem regularibus eo nomine veniunt illi tantum patres, ad quos juxta religionis statuta à S. Pontifice approbata spectat rebus collegialiter gerendis interesse. Cujus Capituli consensus ut tit. præced. dictum est, requiritur ad res magni momenti peragenda.

QUÆRES 2. Qualis Capitularium consensus requiratur, an omnes Capitulares consentire debe-

debeant, an sufficiat consensus majoris partis; Respond. Cùm sæpius propter diversa hominum studia difficillimum sit omnes Capitulares in unam vocare sententiam, hoc statuendum existimârunt Canones, ut id quod à majori parte capituli factum esset, vim & robur haberet; *cap. i. b. t.* ne quorundam pertinacium disensus, utilitatem ecclesiæ impediret.

**OBJICIĒS.** Non semper est acquiescendum majori numero, cujus judicium rarò tutius ac sanius est. *cap. gratum de postul. prælat.* ergo non semper valebunt, quæ à majori parte capituli facta sunt. Respond. Non majori tantùm, sed & saniori numero acquiescendum esse; major autem capituli pars sanior præsumitur.

## TITULUS XII.

Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

**QUÆRES I.** Cur beneficia sine diminutione conferenda sint? Respond. Cùm beneficium detur propter officium; ideò ne hoc imminutis aut planè extinctis beneficii redditibus minueretur, aut omninò desereretur, hoc præfente titulo generalis traditur regula beneficia sine ullâ reddituum diminutione conferenda esse. diminutio hæc duobusmodis contingere solet; videlicet per reservationem certæ partis reddituum, & per impositionem annuæ pensionis. de quibus nunc

X 2

viden-

videndum, an, quibus casibus, & quibus personis  
facere liceat.

QUÆRES 2. An liceat quandoquē colle-  
tori reservatâ sibi certâ portione reddituum, bene-  
ficio conferre? De inferioribus Collatoribus  
tam laicis quam ecclesiasticis indubitatum est  
fieri non posse, cum nullam facultatem in benefi-  
cium & fructus ejus habeant; sed solum jus pre-  
sentandi; de Episcopis, id aliqui affirmant, et  
ratione quod Episcopus cum consensu Capituli  
beneficium omnino extinguere possit *cap. cum acco-*  
*ssent de constit.* Cur non etiam partem fructuum  
reservare? Verum hæc ratio solida non est, nam  
*cit. Capit.* beneficium sive dignitas primiceriatu  
extincta est interveniente auctoritate sedis Apo-  
stolicæ; Quare Resp. Episcopum beneficii vacan-  
tis fructus de jure sibi reservare non posse. Ratio  
desumitur ex *cap. pen. de V. signif.* ubi Episcopo  
concessum fuit privilegium à Pontifice, ut bene-  
ficiorum vacantium fructus ad solvenda debita sua  
per biennium retinere possit, quo privilegio opus  
non fuisset, si id jure facere potuisset. Unde  
licet Episcopus cum consensu Capituli beneficio-  
rum vacantium redditus ex toto vel ex parte ad  
tempus propter necessitatem vel etiam magnam  
utilitatem Ecclesiæ, reservare possit, sibi tamen  
aut mensæ Episcopali vel Capitularios retinere  
non poterit, sed in his & similibus casibus ad Pon-  
tificem recurrendum erit, quod de jure communi  
procedit; non tamen est damnanda quarundam  
Germaniæ Ecclesiarum consuetudo, quæ ob-  
tinuit, ut pars fructuum primi anni Episcopo ad-  
augendos ejus redditus solvatur, ad eum serè mo-  
dum quo Papæ solvuntur annatæ. *Quæ-*

QUÆRES 3. Possitne beneficio collato imponi pensio à beneficiato solvenda? est autem pensio jus percipiendi partem aliquam fructuum ex beneficio alieno. Quæ vel est laicalis, si nimirum propter causam temporalem, v. gr. in recuperationem laboris vel negotii gesti in subsidium vitæ, &c. solvatur, vel Clericalis sive Ecclesiastica, si propter Ministerium spirituale concedatur. Quo præviè notato. Resp. Pensionem à summo Pont. propter plenitudinem potestatis quam habet, & ejus auctoritate etiam ab Episcopo beneficiis imponi posse, quæ conclusio probatione non indiget, cum id quotidiana doceat experientia. debet autem esse pensio moderata, cum rationi contrarium sit, alieno sudore pasci.

## TITULUS XIII.

De

### De Rebus Ecclesiæ alienandis vel non.

QUÆRES 1. Quid hoc titulo veniat nomine alienationis? Resp. Nomen alienationis hic non sumitur in sensu stricto pro eo tantum actu quo dominium directum in alium transfertur, ut sunt donatio venditio permutatio, sed latissimè pro omni actu quo dominium seu directum seu utile tantum vel aliud jus in re transfertur. Unde prohibitâ rerum ecclesiasticarum alienatione prohibetur, imprimis juxta cap. 5. h. t. donatio, venditio, permutatio, contractus emphyteuticus perpetuus, concessio quâ prædium fit tributarium, constitutio pignoris vel hypothecæ specialis, constitutio servi-

tutis in re Ecclesiastica, transactio per quam res Ecclesiæ transfertur in alium; infeudatio & locatio ad longum tempus *extravag. ambitiose unica, inter communes h. t.*

**QUÆRES 2.** Quænam res ecclesiasticæ alienari prohibeantur? Resp. Res quæ his contractibus alienari vetantur sunt 1. Res Immobiles videlicet prædia, fundi, domus *cap. 5. h. t.* 2. Res mobiles pretiosæ quæ servando servari possunt, ut sunt reliquiæ sanctorum insignes, suppellex vel ornatus valdè pretiosus, v. gr. vasa aurea, argentea, gemmæ, &c. Quæ sunt de thesauro Ecclesiæ, eique singularem afferunt splendorem; talia enim immobilibus teste *Barbosa* æquiparantur. 3. Integri greges animalium v. gr. ovium, unde fructus annui percipi consueverunt. 4. Censuum vel reddituum annui *Clem. 1. h. t.* 5. Denique jura & actiones rerum immobilium & mobilium pretiosarum. Aliæ verò res mobiles, quæ servando servari non possunt, quales sunt quæ usu absumuntur, aut facile veterascunt, v. gr. fructus, vinum, oleum, frumentum, pecudes singulæ, vestes, pecunia quotidiano usui serviens, alienari à Prælatibus omni sollemnitate possunt.

**QUÆRES 3.** Quid requiratur ad hoc, ut rerum ecclesiasticarum alienatio valeat? Respond. Duo sunt quæ ad rerum immobilium licitam & validam alienationem requiruntur, nim. causa & forma, sive solemnitates à jure præscriptæ. licet autem causa juxta *Clem. 1. h. t.* propriè loquendo sit duplex, videlicet necessitas & utilitas Ecclesiæ, communiter tamen 4. Causæ assignari solent. prima est necessitas ecclesiæ, quæ vel ære alieno laborat,

laborat, vel ruinam aliter inevitabilem minatur, vel patitur, defectum suppellectilis ad cultum divinum necessariæ, ad quam parandam fructus sunt insufficientes. Secunda est evidens Ecclesiæ utilitas *cap. 1. b. t. in 6.* qualis esset si venderetur ager vel prædium, ad aliud melius comparandum; ad alienationem enim non sufficit quod non cedat in damnum, sed requiritur ut sit pro futura. Tertia est pietas, ut dum res ecclesiæ alienatur pro redemptione captivorum, pro alimentatione pauperum, propagatione fidei, defensione Ecclesiæ contra hostes, vel pro aliâ gravi & publica necessitate, sublevandâ. Quarta est incommoditas vel inutilitas, qualis datur si res propter distantiam aliamve similem causam retineri non posset sine damno, vel si sumptus in eam faciendi excederent fructus ex eâ provenientes. forma vel solemnitates jure requisitæ sunt. 1. Tractatus quo Capitulares congregati inter se conferrunt an alienatio sit futura ecclesiæ utilis, vel præjudiciosa *cap. 1. b. t. in 6.* 2. Consensus majoris partis Capitularium, juxta eâ, quæ *tit. 10.* dicta sunt. 3. Subscriptio Capituli. 4. Consensus & auctoritas superioris, qualis respectu ecclesiarum cathedralium est Pontifex, respectu aliarum ordinarius.

**QUÆRES 4.** An si unum ex dictis duobus requisitis deficiat, invalidetur alienatio? Respond. Omnis alienatio deficiente causâ & solemnitate facta in valida est, neque sufficit causa tantum existimata, sed requiritur realis; & si quæ alienatio aliter facta fuerit.

**QUÆRES 4.** Quæ sit pœna in Prælatos bona ecclesiæ malè alienantes statuta? Respond.

X 4

Præter

præter nullitatem actûs gesti incurrunt excommunicationem *extravag. ambitiose h.t. inter commun.* Cujus extravagantis dispositioni multi Prælati contraveniunt, excommunicationi contemptâ, se quâ conscientia viderint ipsi. *Quarant. in summ. bullarii V. alienatio rer. eccles. num. 5. Trident. sess. 25. de reform. c. 11.*

## TITULUS XIV.

De

### Precariis.

**QUÆRES** 1. Quid sint precariæ? Respond. precariæ & precarium licet voce multum conveniant, re ipsa tamen sunt diversi contractus: precarium enim iure Civili cognitum, est contractus quo alicujus rei usus petenti gratis conceditur, revocandus ad arbitrium concedentis *l. 1. § 2. ff. de ap. fin. h. t.* precariæ verò vel precaria est contractus iure Canonico introductus quo rei immobilis usus alicui roganti renumerationis causâ conceditur, vel in perpetuum, vel ad certum tempus v.g. ad quinquennium, ita ut ante hujus lapsum nequeat revocari. *gloss. in cap. 1. h. t. verb. precaria. & ibi Abbas num. 1. § 3.* juxta quas definitiones præcariæ differunt à precario: Primò, quòd hoc res etiam mobiles *l. 4. ff. h. t.* illis verò non nisi immobiles concedantur *can. si œconomus, can. precariæ c. 12. q. 2.* Secundò, quòd præcariæ ad tempus vitæ, vel aliud certum tempus concedantur, non revocabiles, nisi tempore lapsò; precarium verò ad incertum tempus datur, & semper sit revocabile. Tertiò, quòd in  
preca-

precario nulla sit renovatio, precariæ autem singulis quinquenniis renovandæ sint, *cap. 1. h.t.* Quartò, quòd in precariis etiam levis culpa, in precario autem dolus tantùm præstetur, & culpa lata quæ dolo æquiparatur.

QUÆRES 2. Quæ sit differentia inter precarias & emphyteusim? Respond. Differunt precariæ ab emphyteusi, quòd licet quandoque pensionem admittant, tamen ordinariè remunerationis causâ & ad preces alicujus benè meriti gratis concedantur.

QUÆRES 3. An ad concessionem precariarum requirantur solemnitates juris? Respond. Tam solemnitates quam justam causam requiri; Ratio est, quòd in *extravag. ambitiosæ de reb. eccles. alien.* generaliter omnis concessio rerum ecclesiasticarum ultra biennium sine solennitatibus fieri prohibeatur, adeoque etiam precariæ; unde si sine his concessæ fuerint, à successore tanquam irritæ revocandæ erunt. *Vallens h.t. num. 8.*

## TITULUS XV.

De

### Commodato.

QUÆRES 1. Quid sit commodatum & quomodo differat à reliquis contractibus? Respond. Commodatum est contractus quo res alicui ad certum usum & tempus gratuito conceditur, eâ lege, ut eadem in specie restituatur. Differt 1. A precario cui valdè affine est, quòd hoc ad usum & tempus fere incertum commodatum

X 5

autem

autem ad usum & tempus certum concedatur. 2. A precariis quòd hæc minus quàm commodatum gratuita & singulis quinquenniis sint renovandæ. 3. A mutuo quod per hoc dominium, & commodatum autem solus usus transferatur, & eadem in specie restituatur. 4. A deposito & pignore, quòd illud custodiam tantum, hoc verò locum ritatem concedat. 5. Denique à locatione, quod non gratuito, sed constitutâ certâ mercede locetur.

QUÆRES 2. Quomodo commodatarius obligetur si res commodata deterioretur, vel omnino pereat? priusquam respondere sciendum est, rem tribus modis perire, aut deteriorari posse. 1. Quidam dolo ipsius commodatarii, qui definitur, callida machinatio ad circumveniendum alterum adhibita; 2. Culpâ, quæ ex læsione per imprudentiam facta, quæ tamen humanæ ratione regulariter evitari potest; estque triplex læsio, levis & levissima; lata culpa est, ommissio ejus diligentia, quam omnes homines adhibent, vel certam adhibere debent. levis est, dum quis non adhibet diligentiam quàm diligens paterfamilias adhibere solet, secundum communem hominum naturam. levissima culpa est ommissio ejus diligentia, quam diligentissimi homines adhibere solent. 3. Denique res perit casu fortuito; est autem casus fortuitus eventus inopinitus, qui nullo humano Consilio prævideri potuit; quibus notatis ad Quæstionem Respond. Si res pereat commodatarii dolo, ad eam præstandam obligabitur commodatarius; si pereat casu fortuito, ad nil tenetur res enim perit domino suo. Si vero culpâ eam perire contingat, regulariter non solum laram & levem, sed levissimam

etiam culpam præstare tenetur. *l. 5. ff. commodat.*

**OBJICIES. 1.** Commodatum simile est precario. *l. 1. ff. de precar.* sed qui rem precario accepit, de dolo & culpa lata tantum tenetur. *l. 8. §. 3. §. 6. ff. de precar.* Ergo & commodatarius. Resp. Commodatum simile est precario in aliquibus Conc. in omnibus Neg. differentias inter commodatum & precarium vide apud Cujac. *lib. 23. observ. cap. 21. Treutler. vol. 1. disp. 24. thes. 5.*

**OBJICIES 2.** Commodatarius præstat culpam latam & levem tantum. *l. 18. §. at si utriusque l. 5. §. interdum ff. h. t.* Ergo non levissimam. Resp. Præstat culpam latam vel levem tantum, regulariter. Neg. si utriusque contrahentis gratiâ res commo- data fuerit, vel in solius commodantis favorem & gratiam accepta, Conc. de his enim casibus loquuntur *Cit. leges.*

**QUÆRES 3.** Unde dignosci possit ad quam culpam quis in quocunque contractu teneatur? Respond. Applicandam esse communem regulam, & videndum in cuius gratiam cedat contractus in- itus; Si enim contractus in utriusque contrahentis gratiam celebratus fuerit, tunc unus contrahens alteri de culpâ latâ & levî tenebitur. *l. 18. ff. h. t.* v. gr. in locatione; Si dantis gratiam tantum respi- ciat, veluti in deposito alter non nisi ad culpam la- tam obligabitur. *§. praterea. Instit. quib. mod. re contr.* si in gratiam solius accipientis, culpa etiam levissima præstanda erit. *l. 5. §. veluti. ff. commod. Gonzal. in cap. univ. h. t. num. 6.*

**QUÆRES 4.** Quis sit effectus hujus con- tractus sibi Commodati: Resp. Effectus est obli- gatio, & exinde nata duplex actio nim. actio com- modati

modati

modati directa, & contraria; directa est actio personalis Civilis, rei persecutoria bonæ fidei, datur commodanti ejusque hæredibus adversus commodatarium, ejusque hæredem, ut res commodata usu finito in specie non deteriorata restituatur. l. 3. §. 1. ff. b. t. Contraria vero datur commodatario, qua repetit v. gr. expensas si quas ad perpetuum rei commodatæ usum spectantes fecerit, l. 18. §. 2. ff. b. t.

**QUÆRES 5.** Quomodo sciri possit, quomodo contractus duplicem actionem pariat? Responsum. Pro hoc observandæ sunt duæ regulæ: Prima, si idem sit nomen Contractus, & diversa nomina contrahentium, uti commodatum commodans, & commodatarius. Sed hæc regula fallit in mutuo, ex quo non datur nisi una actio, & tamen unus dicitur mutuans & alter mutuarius. Unde melior est secunda regula, si contrahentes ex contractu utriusque obligentur, & æque principaliter tunc nascitur duplex actio, & erit utraque directa, v. gr. actio pro socio. Sin vero unus principaliter, id est, ab initio, alter minus principaliter & ex consequenti tantum obligetur, tum adversus hunc dabitur actio directa, adversus illum contraria, ut v. gr. in commodato, deposito mandato, negotiorum gestione & tutelâ.

**OBIICIES 1.** Precarium cedit in gratiam solius accipientis, sicut & commodatum & tamen in precario sola culpa lata præstatur, ergo nec major in commodato præstanda erit. Resp. Conc. antea. Neg. consequ. Id enim in precario singulare est, quod pro libitu concedentis revocari possit, ad quod que exigua inde utilitas spectanda sit.

OBI

**OBIICIENS** 2. Tutela cedit in gratiam solius pupilli, & tamen tutor præstat culpam levem; ergo prædicta regula non procedit. Respond. In tutore hoc speciale est ob favorem pupilli.

## TITULVS XVI.

### De Deposito.

**QUÆRES** 1. Quid sit depositum, & quomodo à reliquis contractibus distinguatur? Respond. Depositum est Contractus reinitus quo res custodienda gratis traditur, hac lege, ut eadem in specie sive individuo, quodocunque deponenti libuerit, restitatur *l. 1. § 8. ff. depositi*. Differt à mutuo quòd per depositum dominium rei in accipientem non transferatur; à commodato & precario, quòd his contractibus usus concedatur, depositarius vero si re deposita usus fuerit, furtum committere dicatur; *l. 2. ff. depositi*; à locatione; quòd res non pro mercede sed gratis custodienda tradatur. à pignore quòd hoc ad cautionem, illud ad custodiam detur; custodia enim est finis depositi & dominium manet penes deponentem *l. 17. § 1. ff. b. t.*

**QUÆRES** 2. Ad quam Culpam teneatur depositarius; Respond. Eum juxta regulam *ist. preced. datam* non nisi de dolò & culpâ lata teneri *§. præterea instit. § l. 32. ff. b. t.* deponentis enim gratiam tantum respicit, & qui negligenti amico rem Custodiendam tradidit id suæ debet impu-  
tare facilitati; nisi tamen aliter convenum sit

*l. 1. ff.*

1. ff. b. t. vel depositarius deposito se obtulerit, detur enim promittere præstationem culpæ levis  
2. b. t. vel aliquid honorarii loco pro custodia cepit. dict. cap. 2.

QUÆRES 3. Quotuplex sit depositum. Respond. Est potissimum quadruplex. primum dicitur voluntarium seu Conventionale, cujus finis custodia; alterum dicitur depositum sistendarum rerum quando debitor creditore sine iustâ causâ lente acceptare solutionem ad evitandum usurarium, & periculum casus fortuiti, pecunias apud iudicem deponit *l. acceptatam Cod. de usur.* Tertium dicitur depositum sequestrarium seu iudiciale quando res litigiosa, iudici seu sequestro traditur, ad decisionem causæ servanda. Quartum dicitur depositum miserabile, quod nomen accepit à casibus miserabilibus quibus ob miseriam præsentem res apud alium deponi solent, quorum recensentur. Videlicet naufragium, incendium, tumultus bellici & ruina ædium collabentium.

QUÆRES 4. An depositum in compensationem debiti retineri possit? Respond. Non potest per *tot. cap. 2. §. sane b. t.* Ratio est, ne quod alicuius fidei specialiter commissum est, ei ad perfidiam occasio fiat; neque refert quod compensationi pro debito liquido in aliis contractibus sit locus, quæ res in aliis contractibus non principaliter intuitu fidei, sed alicujus usus vel securitatis gratiâ datur; Excipienda tamen hic est causa debiti liquidi propter expensas necessarias in rem depositam factas; donec enim istæ solvantur, depositum retinere licet, suadente æquitate. *cap. 2. b. t.*

**OBJICIES.** Compensatio æquitate nititur & pro solutione habetur. *l. 4. Cod. de compensat. l. 4. ff. qui potiores;* ergo etiam in deposito locum habebit. Resp. Concess. Anteced. Neg. conf. quia specialis fides in deposito interveniens, compensationem iniquam facit.

**QUÆRES 5.** An depositarius in periculo incendii, naufragii, ruinae, vel hostilis incursionis res depositas servare teneatur præ suis, si utraque simul retineri nequeant? Ratio dubitandi est, quia ex unâ parte deposito salvis rebus propriis pereunte, præsumitur dolus juxta. *cap. 2. ex alterâ autem quod regula charitatis proximi, delectationem incipere doceat à semetipso. can. si non liceat c. 33. q. 5. quibus non obstantibus;* Resp. Res pretiosiores servandas esse sive propriae fuerint sive alienae ratio est, quod depositarius teneatur ad eam diligentiam, quam quisvis prudens rebus propriis solet, adhibere; adeoque pretiosiores sive propriae fuerint, sive alienae præferre debet minus pretiosis; quod si æquales fuerint, propriae præ alienis servari possunt; quia depositarius non tenetur depositis rebus salvandis majorem diligentiam adhibere, quam prudentes propriis adhibere solent.

**QUÆRES 6.** Possitne depositarius per pactum à præstatione doli liberari? Respond. Dolum præteritum pacto remitti posse. *l. si unus. §. 4. ff. de pactis non autem futurum;* ratio est, quod ejusmodi pactum utpote invitans ad delinquendum sit contra bonos mores adeoque nullius valoris. *dict. l. §. 3. ff. de pact. l. 11. §. 1. ff. de doli mali except.*

**OBJICIES.** Paria sunt de dolo non præstando paci, vel paci ut non agatur depositi. *l. 27*

§. 3.

§. 3. ff. de pact. sed posterius concessum est, l. 7. ff. eod. Ergo & prius. Respond. Paria sunt à pari rei loquendo concedo, quoad modum pacificem Nego. Multa enim expressa nocent, quæ non expressa valuissent.

## TITULUS XVII.

De

### Emptione venditione.

**Q**UÆRES 1. Quid sit Emptio venditio Respond. Emptio venditio est Contractus bonæ fidei solo consensu initus, quo re sive merce pro certo pretio commutanda convenitur. Dicitur bonæ fidei, quia multa ex æquitate præstantur, de quibus expressè conventum non est. Quatenus pretium offertur pro re, vocatur emptio; quatenus res pro pretio datur, venditio dicitur. l. 1. ff. de contrab. em. 2. l. 1. ff. de rer. permitt.

**Q**UÆRES 2. An valida sit & rescindi possit venditio quâ venditor in pretio est læsus? pro cuius resolutione notandum est, pretium justum pro diversa hominum æstimatione communitè assignari triplex videl. summum, medium, & infimum, res enim cujus pretium medium sunt v. gr. 100. Imperiales, ab aliquibus 90 ab aliis vero 110. æstimari potest; quorum prius infimum, posterius vero summum sive rigorosum vocari solet; unde quodcumque pretium ex his venditor pro re venditâ confertur, justo eam pretio vendidisse dicitur. Quo præviè notato duo Casus sunt distinguendi; vel enim

enim venditor læsus est ultra dimidium eo quòd pro  
 re, ejus pretium infimum erant 100. floreni, acce-  
 perit minus quàm 50. v. gr. 46. florenos, & tum  
 venditio quidem valida est, venditor tamen agere  
 potest, ut vel defectus justì pretii suppleatur, vel  
 venditio rescindatur. *l. 2. Cod. de rescind. vend. c. 3. §*  
*6. b. t.* vel læsus est infra dimidium, accipiendo nimi-  
 rum pro re cujus valor sunt 100. floreni, 60. v. gr.  
 Et tum quoque valida est venditio adeo quidem, ut  
 non ad rescindendam venditionem tantùm sed & ad  
 supplendum pretii defectum de jure tam Canonico  
 quàm Civili denegetur actio, ut *loc. cit.* tradunt  
 Doctores; cujus ratio est, ut commercia & con-  
 tractus majori fiducia celebrentur & evitetur nu-  
 merus litium, quarum finis non esset, si ob quam-  
 cunque læsionem agi in Judicio posset. cum tamen  
 Canones omnem omninò peccandi occasionem tol-  
 lere contentur, hinc licet læso infra dimidium acti-  
 onem judicialem denegent, denuntiationem tamen  
 Evangelicam concedunt, quæ læsus idem quod a-  
 ctione stricta consequitur.

QUÆRES 3. Cum tam emptori quàm ven-  
 ditori Si intervenerit læsio ultra dimidium compe-  
 tat judicialis actio *arg. l. 2. cit. § 5 cap. eum dilecti, cap.*  
*eum causa h. t.* An ut emptor ad rescissionem contra-  
 ctus, vel suppletionem pretii agere possit sufficiat, quod  
 pro re, cujus justum pretium summum sunt 100 floreni,  
 dederit plus quàm centum & quinquaginta florenos,  
 an verò requiratur, ut eam emerit plusquam 200.  
 v. g. ducentis & 40. florenis? utraque sententia suos  
 habet patronos, posteriorem defendit *Fachinus con-*  
*trovers. jur. lib. 2 cap. 16.* eamque sic probat: læsio  
 ultra dimidium ex parte venditoris esse dicitur cum

Y

nec

nec dimidiam partem veri pretii accepit *c. l. 2. §. 1. de re iud. l. 2. §. 1. de re iud. l. 2. §. 1. de re iud.* ergo & ex parte emptoris etit, si rem emerit, cum æstimatio dimidiam partem pretij numerati non attingit; prior tamen communior est, & æquior praxi, cum servanda sit æqualitas inter emptorem & venditorem.

**QUÆRES 4.** An licita sit venditio cum pacto de retrovendendo? Illicitam esse suam videtur *cap. 5. b. t.* quod venditionem cum tali pacto iniquam tanquam usurariam reprobatur, nihilominus vera est & communis sententia, venditionem cum tali pacto seclusis fraudibus, nec usurariam nec illicitam esse prout desumitur ex *l. 2. Cod. de pact. in emptorem.* & ex *Levit. cap. 25.* Ubi venditio possessionum redemptio permittitur Israelitis. Ratio est quia venditioni annecti possunt onera, dummodo secundum quantitatem adjectorum onerum moderetur & reducatur pretium, *l. 79. ff. de contrah. emptio.* Cum sic pro re venditâ non exigatur plus quam re ipsâ valeat: Ergo si propter pactum retrovenditionis, exigatur minus pretium venditor nullam committet iniquitatem. Non obstat *cap. citat.* Quia ibi venditio tanquam usuraria non reprobatur ideo, quod intervenerit pactum retrovendendi, sed quod non fuerit vera venditio, nec re ipsa fuit contractus pignoratitius speciem venditionis præferens ut palliaretur usura, quæ commissa est quod venditor vel potius mutuans pensiones & fructus ex domibus & olivis in speciem venditis, re ipsâ autem oppignoratis, voluerit lucrari, uti ex circumstantiis contractus colligitur.

**QUÆRES 5.** An casu, quo emptor rem alienam sibi venditam vero domino eam vendicanti,

à Judice cogitur restituere; venditor emptori de rei vendita evictione teneatur? Respond. affirm. per l. 6. Col. de eviction. & cap. fin. b. t. qua actione duo petuntur nimirum pretium solutum, & interesse;

**QUÆRES 6.** An actio de evictione in omni Casu locum habeat? Resp. Negative tres enim casus dicitur cap. fin. excipiuntur. primus est si emptor non denuntiaverit venditori litem sibi super vendita motam. Secundus si sententia lata sit contra emptorem, ob ipsius contumaciam. Tertius si per imprudentiam, injuriam vel errorem judicis condemnatus fuerit, quia ut inquit l. 51. ff. b. t. injuria quæ fit emptori venditorem contingere non debet. sunt & alii casus quibus venditor Emptori de evictione minimè tenetur, quos facilius erit in auctoribus legere, qui materiam hanc fusiori calamo tractarunt.

**QUÆRES 7.** Quænam res vendi possint? Respond. Quæcunque specialiter non prohibentur. prohibentur autem 1. res spirituales, v. gr. Jurisdictio Episcopalis, beneficia, ordines ecclesiastici, &c. 2. Res sacre religiosæ & sanctæ, v. gr. vasa sacra, vestes, altaria & reliquiæ Sanctorum. 3. homo liber. 4. res publicis usibus destinatae, v. gr. viae publicæ, basilicæ &c. 5. res dotalis vel donata propter nuptias, licet uxor consentiat, exceptis certis casibus. cap. pervenit. b. t. 6. res litigiosa sive restitutioni obnoxia.

**QUÆRES 8.** Ex quot causis emptio venditio rescindi possit? Resp. Potissimum ex quinque. 1. mutuo contrahentium disensu, seu potius Consensu, l. nihil tam naturale. ff. de reg. jur. 2. ex Capite metus, l. 1. ff. de eo quod metus caus. 3. ex

capite doli. 4. Ex læsione ultra dimidium. Si  
 ædilitio edicto per actionem redhibitoriam  
 competit per 6. menses ad rescindendam empta-  
 nem & venditionem, si quis rem vitio, morbo  
 corruptam, sive animatam sive inanimatam em-  
 rit, quam retinere propter vitium non expediat.

## TITVLVS XVIII,

De

### Locato & Conducto.

**QUÆRES 1.** Quid sit locatio conductio? Re-  
 spond. Locatio conductio est Contractus bo-  
 næ fidei quo de rei alicujus usu vel fructu  
 certa mercede convenitur, is qui rem utendam  
 fruendam alteri concedit, locator dicitur; qui  
 mercedem solvit, conductor vocatur. Differt  
 emptione, venditione, quod per locationem non de  
 dominio transferendo sed de usu vel fructu tantum  
 conveniatur.

**QUÆRES 2.** An & ad quale tempus res Ec-  
 clesiasticæ locari possint? Respond. Locationem  
 rerum Ecclesiasticarum permissam esse, res est indu-  
 bitata, & quidem si debitæ solemnitates interveni-  
 ant, ad quodcunque tempus; sine solemnitatibus  
 verò, licet *elementina prima de rebus ecclesie alien.* lo-  
 cationem ad tempus modicum, cujusmodi est quod-  
 cunque decennio minus permittat, jure tamen po-  
 steriori res Ecclesiæ immobiles ultra triennium  
 locari nequeunt, *extravag. ambitiosa eod. titul.* Cu-  
 jus extravagentis dispositio in Germania nostrâ  
 parum recepta videtur.

QUÆRES

QUÆRES 3. An successor teneatur stare locatione sui antecessoris? Respond. Eum tene-  
ri supposito quod locatio rei ad Ecclesiam spectan-  
tis iure permilla sit. Ratio est quia Prælatus est le-  
gitimus administrator rerum ecclesiasticarum; ergo  
si has modo à Jure permisso locaverit, locatio te-  
nebit.

QUÆRES 4. Ad quam Culpam teneatur conductor locatori? Respond. Eum de culpâ la-  
tâ & levi teneri; neque obstat quod §. 5. *Infl. b. t.*  
in conductore requirat custodiam diligentissimam,  
adeoque etiam ad culpam levissimam eum obliga-  
re videatur; non inquam obstat, quia ibi super-  
lativus sumitur pro positivo, quod sæpius in jure  
accidit, ut demonstrat *Arnoldus Vinnius. b. t. num. 3.*

QUÆRES 5. Quomodò locatio Condu-  
ctio differat ab emphyteusi? Respond. Differre in  
pluribus; 1. Locatio tam est rei mobilis quam im-  
mobilis, Emphyteusis rei immobilis tantum. 2. In  
locatione non transfertur dominium, in Emphyteusi  
utile dominum in emphyteutam transit. 3. In em-  
phyteusi mutatione factâ ex parte emphyteutæ per  
alienationem, novus emphyteuta solvit laudemium  
vulgo den Anstand/non item in locatione. 4. In loca-  
tione ratione sterilitatis aliquando remittitur pensio,  
non autem in emphyteusi annuus canon. *l. ex conducto. §.*  
*1. & 2. b. t.* Ratio disparitatis est, quod in locatione &  
conductione pensio detur intuitu fructuum, ergo si  
fructus non nascantur vel sterilitas aliunde non com-  
pensetur, rectè fit remissio, *l. 18. Cod. b. t.* e contra in  
emphyteusi canon præstatur ob dominium directum  
quod semper manet. Definatur autem emphyteusis  
quod fit contractus nominatus Juris Civiles stricti

Juris quo fundus alicui cum translatione dominij  
 lis conceditur sub triplici lege; videl. melioratione  
 præstationis annui Canonis, & non alienandi, &  
 præscitu domini directi.

**QUÆRES 6.** Ob quam causam emphyteu-  
 sis amittatur? Respond. Eam ex triplici Causa  
 amitti: 1. Ex causâ non soluti Canonis, in emphy-  
 teusi ecclesiastica per biennium in sæculari per tri-  
 ennium. *cap. potuit b.t. § l. 3. Cod. de jure emphyteu-*  
*cum de jure Canonico admittatur purgatio mor-*  
*non item de jure Civili. 2. Ex causâ deteriora-*  
*onis notabilis l. fin. Cod b.t. 3. Ex causâ vendi-*  
*onis factæ irrequisito Domini directi consensu &*  
*cutâ traditione.*

**OBJICIES.** Emphyteuta potest jus quod  
 in re habet alteri irrequisito Domini consensu dona-  
 re, *l. 219. ff. de V. S.* ergo & vendere. Respond.  
 Concess. anteced. N. conseq. ratio est quod Do-  
 mino directo non sit timendum tantum periculum  
 in donatione quam venditione, cum majori delibe-  
 ratione donare quàm vendere soleamus.

## TITULUS XIX.

De

### Rerum Permutatione.

**QUÆRES 1.** Quid sit permutatio? Re-  
 spond. Nomen permutationis licet pro-  
 prium, ad hoc certam aliquam speciem  
 Contractus efficere videatur, nihilominus generale  
 est, & contractibus innominatis annumeratur, cum  
 qui

quivis Contractus ultro citroque obligatorius sit, quaedam permutatio. definitur contractus innominatus Juris gentium bonæ fidei, re & consensu perfectus, quo una certa species vel potius individuum pro aliâ certâ specie v. gr. fundus pro domo permutatur; differt à plerisque aliis contractibus quod per ipsam transferatur dominium non usus; ab emptione, quod non solo consensu, sed interventione rei perficiatur; a Contractu innominato do ut des, quod permutatio sit speciei ad speciem v. gr. hic fundus pro hac domo, contractus vero do ut des sit generis ad genus; nisi cum probabiliori respondere velis, permutationem à do ut des non distinguere velis, permutationem à do ut des non distinguere ut inquit Zoes. ad l. 5. §. 1. ff. præscript. verb. Dices Contractus qui habet certum nomen in iure est nominatus: hoc habet permutatio, ergo. Respond. Habet nomen certum sed generale non specificum.

**QUÆRES 2.** An ad permutationem rerum ecclesiæ immobilium necessariae sint solennitates tit. 13. requisitæ? Respond. Affirmat. Ratio est, quod prohibitio canonica indistinctè loquatur de omni alienatione, cum igitur permutatio haud dubiè sit species alienationis etiam illa prohibita censetur.

**QUÆRES 3.** An spirituale pro spirituali permutari possit. Respond. Affirm. Licet enim res spiritualis cum temporali permutari nequeat, recte tamen spirituales cum spiritualibus v. g. beneficia cum beneficiis permutantur, etiam addito pretio ad æqualitatem fructuum & reddituum compensandam cap. 5. §. 6. h. t. Ratio est, quia iure non

prohibentur, nisi pactiones in honestæ quales colla-  
centur illæ quibus temporale datur pro spi-  
rituali.

QUÆRES 4. An in omnibus beneficiis eccle-  
siasticis locus sit permutationi? Resp. Omnia bene-  
ficia permutari posse, in quibus ius quæsitum ha-  
bent permutantes, qualia non sunt beneficia litiga-  
ta, modò permutatio fiat de consensu eorum quo-  
rum interest, scil. patronorum.

QUÆRES 5. Quid si permutatio benefici-  
orum v.gr. Parochiarum fiat. auctoritate superio-  
ris, qui eam ex certis & rationabilibus causis neces-  
sariam iudicat, patronus autem consentire nolit.  
Respond. Hoc casu sufficit consensum petuisse. Vid.  
*Quarant. in summ. Bullarii verb. beneficiorum permuta-  
tio.*

## TITULUS XX.

### De Feudis.

QUÆRES 1. Quid sit feudum? Respond.  
Feudum est benevolæ concessio rei immobilis  
cum translatione domini utilis, sub obliga-  
tione fidelitatis & honesti obsequii personalis exhiben-  
di; is qui feudum concedit Dominus feudi  
vulgo der Lehensherr vocatur, qui illud accipit vasa-  
llus dicitur. differt ab emphyteusi, 1. Quod orta de  
feudo controversia ab ipso domino dirimatur, quod  
fecus est in emphyteusi 2. quod vasallus seu vasa-  
llus sine consensu Domini oppignorare nequeat, possit  
tamen emphyteuta. 3. Quod in feudo foemina non

non succedat, nisi fœmineum, vel expressè actum sit, succedat autem in emphyteusi. 4. Quòd emphyteusis concedatur sub præstatione annui canonis, feudum verò sub obligatione obsequii personalis. his obiter præmissis duæ difficultates de feudis explicandæ occurrunt.

QUÆRES. 2. Si res feudalis à vasallo in pignus detur ipsi Domino directo, ad quem pertinent fructus ex feudo provenientes? Ad vasallum, pertinere res videtur manifesta, eò quod omnium aliarum rerum frugiferarum Creditoribus oppignoratarum fructus vel omninò cedant debitoribus ut pote earum Dominis vel saltem si à creditoribus percipiantur, veniant imputandi in summam, ita ut debitum cesset, si fructus sortem creditam adæquet *cap. 1. 2. 8. de usur.* adeoque idem de feudo oppignorato statuendum videatur; quibus non obstantibus Respond. Dominum directum tam sæcularem quàm ecclesiasticum feudi sibi oppignorati fructus lucrari, eosque in sortem imputare minimè teneri *c. 1. h. t.* Et *cap. Conquestus de usuris* modo feudo oppignorato cessent obsequia; ad rationem in contrarium allatam quæ auctores maximè torquet, respondet *Gonzal. cap. 1. h. t. n. 3.* naturam feudi ex consuetudine esse, ut dum res feudalis Domino directo oppignoratur, fructus ex illà provenientes pertineant ad Dominum, perinde ac si res non feudalis sed propria esset. Feudum enim conceditur sub obligatione obsequii personalis; Cessante igitur obsequio ruit etiam conditio percipiendi fructus.

QUÆRES 3. An res Ecclesiarum immobiles, à Prælato in feudum dari possint? Respond.

Y 5

si de.

si debite juris solemnitates interveniant, accedat  
 que consensus Pontificis, eas in feudum dari possunt  
 alias non quia infeudatio est quædam alienatio  
 quæ sine solemnitatibus inhibita est Prælati, ut per  
 administrationem tantum non verò dominium rerum  
 Ecclesiæ suæ habentibus. *cap. 1. de his qua sunt  
 Prælat. & cap. nulli de reb. eccles. alien.* quæ conclusio  
 verissima est, si quosdam Casus excipias, quibus etiam  
 sine solemnitatibus tenet infeudatio rerum ec-  
 clesiasticarum. Primus est, si concedatur in fe-  
 dum res jam antea infeudari solita, quæ moris  
 emphyteutæ vel aliàs ad ecclesiam rediit; mox  
 iudicetur ecclesiæ profutura. Quia res semel facta  
 alienabilis, semper manet talis ut tradit *Barbo-*  
*quod patet in pupillo*, qui licet sine auctoritate  
 tutoris novum feudum concedere nequeat, an-  
 tiquum tamen renovare permittitur. *l. 2 feudor. tit. 3  
 cap. 1.* quod verum est, etiam si Prælati iure iura-  
 do se obligasset se bona ecclesiæ suæ infeudare nolle,  
 eò quòd juramentum hoc ad bona jam ab antiquo  
 infeudari solita se non extendat. Secundus Ca-  
 sus est, si sede vacante à Capitulo fiat infeudatio  
 ejusmodi bonorum ad Capitulum solum, vel etiam  
 ad ipsum & Prælatum simul spectantium, ut docet  
*Pyrrh. hic. num. 12.* Tertius casus est si feudum ita  
 alienatum fuerit, ut facile recuperari non possit,  
 tunc enim laico potentiori Concedi potest, ut  
 illud recuperet, & ab ecclesiâ  
 recognoscat.



## T T U L V S XXI,

De

## Pignoribus &amp; aliis Cautionibus.

**Q**UÆRES. 1. Quid sit Pignus? Respond. Pignus tripliciter accipitur: 1. pro ipsa re in securitatem creditori traditâ; 2. pro ipso contractu, quo pignus contrahitur. 3. Pro obligatione ex Contractu resultante. Secundo modo sumptum definitur, *contractus Iuris gentium nominatus bona fidei, quo creditori jus in re alicujus constituitur in securitatem crediti; finis enim pignoris est, ut debitum creditori sit eò tutius.*

**Q**UÆRES 2. In quo pignus & hypothe- ca differant? Respond. Pignus genericè acceptum, solo nominis sono ab hypothecâ differre dicitur l. 5. §. tutor ff. h. t. strictius tamen & magis specificè acceptum ab istâ differt, quod per pignoratitium contractum res creditori in securitatem extradatur, quia res quæ pignori dantur manu traduntur; per hypothecam verò res quidem creditori pro securitate debiti obligetur, ita tamen ut nec res nec possessio, ad creditorem transeat; & hinc quia mobiles regulariter traduntur, res mobilis communiter pignus dicitur, res verò immobilis hypothe- ca, l. plebs. §. pignus ff. de V. S. licet etiam res immobilis pignus, & mobilis hypothe- ca esse possit, ut adeò tota distinctio in nudâ conventionem, vel secuta simul traditione consistat §. 7. inst. h. t.

**Q**UÆRES 3. Quotuplex sit pignus? Respond. Duplex, aliud enim contrahitur expressè, aliud

aliud tacitè. expressum fit vel mutuo partium consensu & conventionè, quo casu traditione rei operari non est *l. 1. ff. de pign. acti.* vel jussu testatoris, vel decreto Judicis immittendo creditorem in possessionem rei, tacitum est, quod ex dispositione legis inducitur, licet de eo inter partes conventum non sit, sic pro securitate dotis mulieri oppignorata sunt omnia bona mariti *c. 5. b. t.* eodem modo bona tutorum & curatorum sunt oppignorata pupillis & minoribus *l. pro officio. Cod. de administ. tutorum.* & *fin. Cod. de leg. tutel.* & quia ecclesia gaudet jure minoris *c. 1. § 3. de in integ. restit.* omnia bona Prælati aut alterius eam administrantis bona illi tacitè obligantur.

**QUÆRES 4.** An & quatenus pacta pignoris adjicere liceat? Resp. Adjectio pacti justii quæ valida sit, non est qui dubitet, *l. 2. Cod. de pact. pign.* quæstio igitur est, quænam justa sint, quænam injusta; duo sunt pacta præcipua, de quorum valore dubium oritur. primum est pactum antichreseos quod fructus pignoris lucratur creditor, quod licet civili subsistat, iure tamen Canonico tanquam usurarium improbatur *cap. 1. de usur.* Secundum est pactum legis Commissoriae quo pecuniâ die condicito non solutâ pignus cedit creditori; quod licet in emptione valeat, in pignore tamen iniquius est quam ut tolerari possit *l. 3. Cod. de pact. pign. & cap. significante. b. t.* Ratio est quòd in emptione venditione veteri Domino continetur dominium, citra læsionem emptoris, in pignore verò veteri Domino auferatur, cum gravissimo ejus detrimento, quippe pro parvâ sæpe pecuniâ re pretiosâ cedente creditori; quòd verum est etiamsi tale pactum juramento

firma-

firmatum esset; Hoc enim cum non sit vinculum, iniquitatis, nullum jus creditori acquirere potest. Neque obstat, quod cuique liceat super re sua pacisci *l. 7. §. si paciscar. ff. de pact.* hoc enim verum est si fiat libero consensu, quàm hic tollit inopia. nihil etiam facit *l. 1. Cod. de pact. pign.* in quâ videtur similis species legis Commissoriæ approbari; casus enim istius legis est, ut pecuniâ certo die non solutâ liceret creditori pignus distrahere quod iniquum non est.

**QUÆRES 5.** Possintne res sacræ, v. gr. calices & alia vasa sacra oppignorari etiam laicis? in casu necessitatis oppignorari posse manifestum est; dubium autem est an laicis? Ratio dubitandi oritur inde quod obligatio pignoris creditori tribuat jus in re, cujus in re sacrâ laicus non est capax *l. 3. Cod. quæres pig. dari poss.* Sed non obstante hac ratione cõmunis est doctrina id fieri posse; non tamen acquirunt proprie jus in talibus rebus sacris, sed solam facultatem eas detinendi, donec debitum sit solutum.

**QUÆRES 6.** Quanam ex pignore detur actio? Resp. Duæ ex hoc contractu actiones oriuntur, una pignoratitia, altera hypothecaria. hæc datur creditori ad vindicandum pignus à quocunque detentore, debito non soluto. Pignoratitia vel est directa, vel contraria; directa datur debitori adversus creditorem ut soluto debito rem oppignoratam cum fructibus restituat, & damnum si quod passus sit, refarciat; contraria datur creditori adversus debitorem ut si fortè sumptus in rem oppignoratam fecerit, restituat. hypothecaria realis est, hæc autem personalis, quæ, si contra debitorem agatur cumulari possunt.

TITUL.

## TITVLVS XXII.

De

## Fidejussoribus.

**QUÆRES 1.** Quid sit fidejussio? Respond. Fidejussio est *contractus quo quis id quod alius debet, soluturum se promittit, salvo manente principali debito*; Hinc fidejussor dicitur, qui aliam obligationem in se suscipit, & fide suâ esse iubet, sive accessorie se obligat. ideoque alius est constitutor, alius mandator, alius expromissor, alius correatus debendi & alius fidejussor. constituere enim potest quis tam pro se quàm pro alio non fidejuberè, *pro personam, inst. de action. mandator suo nomine obligatur & obligationem principalem præcedit, fidejussor alieno nomine obligatur, & obligationem principalem plerumque sequitur §. fidejussor. Instit. h. t. expromissor pro alio quidem se obligat, ita tamen ut reum principalem liberet, hinc per expromissionem fit novatio, non per fidejussionem; correatus debendi suo nomine & principaliter solutionem promittit, fidejussor pro alio tantum.*

**QUÆRES 2.** Quinam Fidejuberè possint? Respond. Fidejuberè possunt omnes quicumque possunt obligari, modo specialiter non prohibeantur; uti fœminæ serui, milites; hinc & Clericus pro laico fidejuberè poterit, non obstante, quòd *cap. 1. h. t. & Canon. 10. quidem. caus. 11. q. 1.* Clericis fidejussionem interdicerè videantur; non enim interdicitur *locis citat. generaliter quæcunque fidejussio sed nimia levitas & frequentia fidejubendi, ne videlicet earum assiduitate Clerici negotiis sæcularibus nimium immi-*

immisceantur, & sic ab officio divino abstrahantur; Gonzalez in cap. 1. h. t. reprobatur tamen fidejussio quæ sit à religioso non impetrato sui superioris Consensu.

QUÆRES 3. Cui obligationi possit accedere fidejussio? Respond. Potest accedere fidejussio ad omnem obligationem, quomodocunque contracta fuerit, abtrahendo etiam, an naturalis sit, an civilis tantum, an ex contractu, vel quasi contractu ex delicto vel quasi delicto oriatur, modo ex hoc non ad pœnam corporalem, sed pecuniariam agatur; neque refert quod obligationi civili tantum, non possit accedere constitutum l. 3. §. 1. ff. de Constit. pecun. quia fidejussio sit per stipulationem Jure Civili inventam; sicut ergo hoc jure inspecto tenet obligatio sic etiam fidejussio; constitutum verò jure pratorio ex naturali æquitate introductum est, quo Jure sicut non tenet civilis obligatio, ita nec constitutum.

QUÆRES 4. Quis sit fidejussionis effectus? Respond. Effectus fidejussionis est obligatio fidejussoris, qui se tamen in majorem quantitatem obligare non potest quam principalis debeat; quòd si id fecerit, tenet fidejussio quoad summam concurrentem, cui non obstat quòd l. 8. §. illud ff. de fidejussor. Fidejussor in majorem summam se obligans omnino non obligari dicatur; quia lex citata loquitur de casu quo creditor majorem summam stipulatus est a fidejussore, ubi fidejussio non tenet nequidem quoad summam concurrentem, cum facta sit in duriorem causam loc. cit, non verò de casu quo fidejussor ultrò majorem summam promisit, qui enim se obligat ad 100, se obligat etiam ad 50, cum

has

hæc minor summa insit majori. l. 83. §. 3 ff. de V. & quod si plures pro uno simpliciter fidejusserint singuli tenentur in solidum §. si plures insit b. t. l. reos Cod. eodem. adeo ut à quocunque velit creditor, debitum suum exigere possit.

**OBJICIES.** Mulier fidejubens conveni nequit ob beneficium Senatûs consulti Vellejanæ *auth. si qua mulier Cod. ad Senat. c. s. Vellei.* ergo fidejussionis effectus non est obligatio. Respond. Conced. anteced. Neg. conseq. quod enim mulier ex fidejussione efficaciter non obligetur, infirmitas nimis muliebris causa est, ob quam leges beneficium hoc indulserunt.

**QUÆRES 5.** Quænam beneficia competant fidejussori? Respond. Hodie ex rescripto Hadriani tria fidejussoribus beneficia competunt. Primum vocatur beneficium ordinis sive excussionis, vigore cujus fidejussor non convenitur nisi excusso prius debitore principali *Novell. 4. cap. 1. Authen. presente Cod. b. t.* alterum vocatur beneficium divisionis, ut actio inter eos pro portionibus viribus dividatur. l. 26 ff. de fidejussor. l. 3. Cod. eod. Tertium est beneficium cedentiarum actionum, quo conventus fidejussor petit à creditore cedi sibi actiones l. 17. 36. 65. 9. ff. b. t. quæ beneficia non competunt ipso iure sed ope exceptionis tantum. Hinc si quis ante excussionem debitoris principalis, vel pro confidejussoribus scienter solverit non opposita exceptione beneficii sibi competentis, nihil recuperare poterit. l. 49. §. 1. b. t.

**QUÆRES 6.** Quando & quomodo cessat obligatio fidejussoris? Respond. Obligationem hanc variis modis extinguere, videl. solutione debiti, confu

& confusione actionis, si nimirum creditor debitori succedat vel e contra. Potest etiam quandoque fidejussor debitorem convenire, ut se liberet à fidejussione; quod tunc dignè fit si debitor solutionem nimis diu protrahat *l. 38. ff. mandati*; si principalis bona sua dissipet, *l. cit.* si fidejussor condemnatus sit ad solvendum; & si ita fuerit ab initio conventum.

## TITULUS XXIII.

### De Solutionibus.

**QUÆRES 1.** Quid sit solutio? Respond. Solutio quæ est optimus tollendæ obligationis modus hinc non sumitur strictè, pro naturali præstatione ejus quod debetur, sed latè pro omni & quocunque modo factâ liberatione debiti; quomodo solvisse censetur non tantum qui debitum v. gr. pecuniam numeravit, sed etiam qui compensatione, acceptilatione, transactione, vel novatione ab obligatione est liberatus. Ea hic veniunt examinanda; à quo solutio faciendâ sit, cui, quomodo & quis sit solutionis benè factæ effectus. ac proinde.

**QUÆRES 2.** Quis solvere debeat, ut contracta obligatio cesset? Respond. Solutio ab eo faciendâ est necessariò, qui liberam habet rerum suarum administrationem, & distrahendi licentiam; hinc solutio facta à pupillo, prodigo, furioso, & aliis quibus interdicta est rerum suarum alienatio, non valet, potest enim repeti & vindicari solutum *l. 14. ff. b. t.* Si nimirum adhuc extet, alias si consumptum sit pro soluto habetur. nec interest an ab ipso

Z

debi.

debitore, an ab alio ejus nomine fiat solutio *l. 13. ff. de  
b. t.* Etiam citrà mandatum. Cum ignorantis pro  
inviti conditio utique possit fieri melior *l. 13. ff. de  
non obstante communi regulâ suadente, invito no  
dari beneficium l. 69. ff. de R. I.* quia prædicta regu  
la non valet eo casu, quo ipso facto beneficium  
ducitur, uti hîc liberatio debitoris, cum credito  
ris nihil intersit, à debitore an ab alio pecuniam  
recipiat. multum autem refert, an pro ignoran  
quis solverit, an pro invito; solvens enim pro in  
vito donasse censetur, adeoque repetere non pot  
solutum. *argum. l. fin. ff. de negot. gest.* pro ignorante  
tem solvens habet actionem negotiorum gestorum

**QUÆRES 3.** Cui sit facienda solutio? Re  
spond. Ei debet fieri solutio cui debetur, & qui ha  
bet licentiam & facultatem obligationem ab alio  
tollendi & solvendi; quare nulla est solutio pro  
gis furiosis & pupillis facta, sine auctoritate tuto  
rum; cum ea quæ sine his geruntur, pro in  
eis habeantur; potest enim pecunia ætatis im  
becillitate & mentis perdi ac profundi, ut adeo  
solutio non proficeret solventibus; procurator  
facta solutio tenet quemadmodum & illi cui om  
nium bonorum administratio commissa est. *l. 1. ff.  
ff. b. t.* licet interim mandatum procuratoris re  
vocatum fuerit; ejus enim ignorantia est justa *l. 21.  
34. ff. b. t.* solutio illi facta quem quis procuratore  
creditoris sui falsò credidit, non liberat solven  
tem, qui errorem suæ debet imputare facilitat  
*dist. l. 34.*

**QUÆRES 4.** Qualiter sit facienda solutio? Et  
tio? Respond. Solvi debet id quod debetur, cum  
aliud pro alio obtrudi nequeat invito *l. 2. ff. de res  
hab*

cred. hinc non bene solvitur pretium loco speciei  
promissæ, l. 1. ff. de rerum permut. nisi aliud sua-  
deat necessitas, specie nimirum non amplius ex-  
stante auth. hoc nisi cod. h. t. vel aliud ex conventio-  
ne appareat l. 15. ff. de V. O. vel ipsa lex talem solutio-  
nem permittat, ut in noxalibus.

QUÆRES 5. Quid solvendum creditori  
cui certa quantitas pecuniæ mutuò acceptæ debe-  
tur, si interim valor numerorum creverit vel decre-  
verit, eritne potior ratio habenda temporis nu-  
merationis, quam faciendæ solutionis? Quæstio  
hæc est difficillima, quæ posset ditare advocatos &  
depauperare partes; ego sententiam Zoeshii secutus:  
Respond. Si conventum sit ut reddantur, v. g. 100  
aurei in specie, satisfit si illi reddantur, & com-  
modum mutuantis est si valor creverit; si nihil con-  
ventum sit, reddenda est quantitas quæ fuit tempo-  
re numerationis, illa enim mutuò data est, non sin-  
gula corpora.

QUÆRES 6. Quid solvendum sit, ut so-  
lutio profit debitori? Resp. Solvenda est integra  
res quæ debetur, partem enim solutionis acceptare  
nemo cogitur, etiamsi debitum dividuum fuerit. l.  
9. ff. h. t. cum particularis solutio multa habeat,  
incommoda l. 3. ff. famil. Eriscum. Cui non obstat  
l. 21. ff. de rebus creditis illa enim agit de debito par-  
tim liquido, partim illiquido, illud autem acce-  
piandum esse, æquitas postulat, cum illiquidum  
non sit propriè debitum.

QUÆRES 7. Quis sit solutionis bene fa-  
ctæ effectus? Respond. Eius effectus est liberatio  
debitoris. sunt & alia quædam quæ vim solutionis  
habent, velut 1. Compensatio, quæ est debiti &  
credi.

crediti inter se contributio, id est confusio. *l. ff. de compensat.* quod respondet æquitati, quæ non patitur aliquem petere id quod ipse eidem est restitutus ut autem locum habeat, requiritur. Primò, ut debitum hinc inde sit purum, debiti enim conditionati, vel in diem suspensi non est compensatio. Secundò, debet esse liquidum sive per confessionem sive per sententiam, aut alium modum legitimum. Tertio, utrinque debet venire quantitas, id est numero, pondere, & mensurâ constans. 2. Accipit stipulatio, quæ est contractus Juris Civilis, quo creditor à debitore interrogatus, an summam sibi debitam ratam habeat, respondet se ratam habere, quæ etiam vocatur imaginaria solutio: non remittitur autem obligatio per stipulationem nisi quæ verbis contracta fuit; hinc obligationes contractæ ve litteris contractæ non solvuntur nisi prius per stipulationem aquilianam transferantur in eam quæ verbis fit. 3. Novatio, quæ est unius obligationis in aliam translatio, vel manente eadem, vel substitutâ aliâ personâ, per hanc enim prior obligatio omnino perimitur *l. i. ff. de novat.* 4. Debetur oblatio rei debitæ, quæ tunc fit quando creditore sine justâ causâ solutionem acceptare nolente pecunia consignata deponitur apud Judicem, liberatur enim debitor, ita ut pro soluto habeatur debitum, etiam si forsan interim pecunia deposita perierit. *l. assignatio Cod. de solut.*

QUÆRES 8. An Ecclesia teneatur ad solutionem debiti à Prælato contracti? Respond. Ecclesiam ad solutionem debiti à Prælato contracti obligatam esse si mutuum ex necessitate Ecclesie

acceptum vel in ejus utilitatem versum fuerit, cu-  
jus probatio incumbit creditori *cap. i. b. t.*

**QUÆRES 9.** An succedens Prælatuſ  
anteceſſoris ſui debita ſolvere teneatur? Reſpond.  
Suceſſorem teneri ad ſolvenda debita ab ante eſſo-  
re ſuo nomine eccleſiæ contracta, quia eſt quaſi ejus  
hæres, ac propterea ſicut in omnia ejus commoda  
ita & in onera ſuccedit.

**QUÆRES 10.** Quænam ratione ſolutionis ſit  
differentia inter Clericos & Laicos? Reſp. Hanc eſſe  
differentiã quod ſi Clericus pro debito civili conve-  
niatur, & ſolvendo non ſit competat ipſi privilegiũ  
competentiæ, vi cujus retinet ſibi alimenta ad ſu-  
ſtentationem vitæ neceſſaria, reliquum creditoribus  
relinquens; ratio movens hujus conſtitutionis  
erat, ne cum opprobrio ſtatũs Clericalis ſordidum  
quaſum exercere, aut mendicare cogeretur.

**QUÆRES 11.** An dictum privilegium lo-  
cum habeat in omni caſu? Reſpond. Neg. fallit,  
enim 1. Si debitum habeat rationem pœnæ: 2. Si  
actione reali v. gr. ex deposito conveniatur 3. Si  
ſe laicum ſimulando creditorem deceperit; 4. Si  
propria culpa per continuata peccata ad inopiam  
devenerit, ut ſi ludendo vel luxurioſè vivendo  
ſubſtantiam ſuam diſſiparet. 5. Si in fraudem cre-  
ditorum bona ſua alienaverit. 6. Si ſuſpectus ſit  
de fuga incarcerari poteſt.

**QUÆRES 12.** Quibus Clericis hoc pri-  
vilegium competat? Reſp. Competere etiam con-  
ſtitutis in minoribus, modo habitum & tonsuram  
deſerant, & alicujus Eccleſiæ ſervitio adſcripti ſint  
*Trid. ſeſſ. 23. c. 7. de reform.*

QUÆRES 13. An huic privilegio renun-  
 tiari possit? Respond. Nequidem medio jurame-  
 to renuntiari posse, eo quod non in privatum  
 publicum totius status Clericalis favorem intro-  
 ducum sit; hoc enim iuramentum eò ipso quod  
 dicitur Clericali præjudicet, tanquam iniquitate  
 continens non subsistit.

## TITULUS XXIV.

De

### Donationibus.

QUÆRES 1. Quid sit donatio & quomodo  
 duplex? Respond. Donatio est libera  
 donatio nullo jure cogente facta; duplex  
 est alia mortis causâ, alia inter vivos; mortis  
 causâ donatio est, quæ fit intuitu mortis & facta est  
 mentione, etiam si qui donat, firmæ valetudinis sit  
 & sic donatarum rerum dominium statim à morte  
 donantis in donatarium transit; *l. 2. ff. de public. ju-  
 rem actione*; donatio inter vivos est, quæ fit sine  
 mentione mortis, licet ab ægro, vel etiam Agon-  
 zante fiat *l. 42. ff. de mort. caus. donat.* Inter utram-  
 que donationem hæc est differentia: *Primò* quod  
 dominium rei donatæ donatione mortis causâ, ante  
 te mortem donatoris non transeat in donatarium  
 simpliciter autem donata statim fiat accipientis.  
*Secundò* quod donatio inter vivos regulariter non  
 vocari nequeat, possit autem donatio mortis  
 causâ. *Tertiò*, pro donatione mortis causâ, com-  
 petit rei vindicatio, actio hypothecaria & pen-  
 nalis ex testamento; pro donatione inter vivos  
 competit condictio ex lege. *Si quis argentum* Cod.

*donat. Quarto*, donatio mortis causâ à donatario ante donatorem moriente, non transmittitur in hæredes, bene donatio inter vivos. *l. 1. ff. de mort. caus. donat.*

*Quinto*, donatio mortis causâ revocatur propter solam convalescentiam, non item donatio inter vivos.

**QUÆRES 2.** In quo conveniat donatio mortis causâ cum legato, & in quo differat? Resp. Differt donatio mortis causâ à legato: 1. Quòd donatio mortis causâ non fiat, absenti & ignoranti, fiat autem legatum. 2. Donatio mortis causâ valet etiam hæreditate non aditâ, non item legatum. convenit cum legato, 1. quòd utrumque confirmetur per mortem. Et 2. solâ pœnitentiâ revocetur. Nec 3. indigeat insinuatione, etiam ultra 500. solidos. 4. requirat. 5. testes velut legatum *lult. Cod. h. t.* 5. quòd ipso Jure transeat tam in donatarium quàm legatarium dominium.

**QUÆRES 3.** An possit quandoque revocari donatio? Respond. affirmat. & quidem tribus ex causis revocatur donatio mortis causâ. 1. Per mortem donatarii ante donatorem *l. 23. de mortis caus. donat.* 2. Per pœnitentiâ donatoris, si videl. ipsum donationis pœnituerit. *l. 30 ff. cod.* 3. si Donatio intuitu certi periculi vel morbi facta sit, & donans reconvalescat, vel periculum evadat *l. 2. ff. d. t.* donatio autem inter vivos similiter ex triplici capite revocatur. *Primò*, si inofficiosa fuerit, idest, tam immodica, ut liberis vel parentibus fuerit læsa legitima. *Tot. tit. Cod. de inoffic. donat.* *Secundò*, propter supervenientiam liberorum, *l. si unquam Cod. de revocand. donat.* *Tertiò*, propter ingratitudinem donatarii, impias manus donanti injicientis,

vel gravi eum injuriâ afficientis *l. fin. Cod. § cap. h. t.* hæc tamen revocatio ex capite ingrati-  
nis non fit iplo Jure, sed per sententiam judicis  
prolatâ scilicet. Ingratitudine donatarius ad restitu-  
endas res donatas obligandus erit. Poterit autem  
revocari donatio, etiamsi donans medio jurame-  
to huic revocationi renuntiasset; ejusmodi enim  
juramentum est contra bonos mores, & præbet  
facilem ingratiam, liberius delinquendi.

**QUÆRES 4.** Quibusnam sit permissa do-  
natio? Respond. Donare possunt inter vivos  
omnes rerum suarum liberam administrationem ha-  
bentes; hinc filius familias, supposito quod pater  
viam habeat, & aliunde specialiter non prohibeatur  
rectè donat de peculio adventitio, utpote pleno  
re possessio *Novell. 117.* pupilli interveniente auctori-  
tate tutorum & decreto judicis in casibus *l. 1. § 1.  
ff. de tutel. Frat. distrabend.* Similiter muti & surdi  
modo signo consensum suum explicare possunt. *l. 1.  
§. mutus ff. de donat.*

Dices filius familias de peculio adventitio do-  
nare nequit mortis causâ, ergò nec inter vivos.  
Respond. Neg. consequent. disparitas est, quod  
ad donandum inter vivos sufficiat, aliquem esse re-  
rum suarum dominum, ad donandum autem mortis  
causâ requiratur, ut quis sit paterfamilias.

**QUÆRES 5.** Quibus non sit permissa do-  
natio? Respond. Donare prohibentur 1. Prae-  
tus sine consensu Capituli & aliis solemnitatibus  
res Ecclesiæ pretiosas & immobiles, modicas au-  
tem donationes permittas esse consuetudo & praxi  
docet. 2. prohibetur donatio inter virum & uxorem,  
nisi tamen donatio juramento vel morte donantis

is firmata fuerit; 3. Inter patrem & filium, sunt enim una eademque persona, excepto casu, quo filio usufructum in adventitiis remittit; vel donationem morte confirmat, aut donationem propter nuptias facit; reliqua quæ hic desunt, ex Jure Civili supplenda erunt.

## TITULUS XXV.

De

### Peculio Clericorum.

**QUÆRES 1.** Quid sit peculium? Resp. Peculium, teste Ulpiano *l. depositi §. 2. ff. de peculio* (præsente autem titulo nomine peculii omnia Clericorum bona veniunt) est pusilla pecunia, hæc autem sunt duplicia; patrimonialia vel quasi, & ecclesiastica sive beneficialia. Patrimonialia dicuntur quæ Clericis aliundè, quàm intuitu, Ecclesiæ obveniunt, v. del. per testamentum, contractum vel laborem manuum; quasi patrimonialia sunt quæ ex ministerio Ecclesiastico tanquam mercedem laboris vel salarium percipiunt, v. gr. pro sacro vel cantu; quibus annumerantur lura stolæ, distributiones quotidianæ. Bona Ecclesiastica vocantur, redditus provenientes ex beneficiis Ecclesiasticis immediate; de hoc Clericorum peculio.

**QUÆRES 2.** An & quatenus Clerici de eo disponere possint? de bonis patrimonialibus difficultas non est, horum enim cum sint absolute domini, non secus ac laici liberè & licite disponunt; at verò de bonis ecclesiasticis intuitu Ecclesiæ acquisitis controversia est inter Doctores; sunt qui Clericis talium bonorum dominium negent, ac propterea

Z §

eos

eos contra justitiam peccare adstruant; si redditus  
superfluos in alios usus quàm sustentationem pau-  
perum impendant, verbis variorum canonum  
*in causa 12. q. 1. & caus. 16. quest. 1.* ubi ejusmodi boni  
vocantur Egentium Animarum tributa, & in pro-  
fanos usus expendens furtum & sacrilegium com-  
mittere dicitur, *C. in. qui Christi caus. 12. q. 2.* verùm ex  
plosâ horum Doctorum sententiâ, contrarium tenet  
S. Thomas, Clericos beneficiâlium bonorum  
Dominos asserens, quos quidem charitas ad expe-  
denda in usus pauperum superflua admonet, justitia  
tamen non obligat; quod clarè desumitur ex  
*Concil. Trident. sess. 23. c. 1. & sess. 24. c. 12. de reform.*  
ubi Clerici non residentes fructus beneficiorum  
suorum non faciunt suos; quod manifestè indicatur  
fructuum dominium à residentibus acquiri; quod  
ipsum Constitutio *Juli III.* quæ incipit, *cum fuerit*  
edita Anno 1550. 26. Junii, apertè docet, quod  
fructus beneficiorum, cum ad manus beneficiatorum  
pervenerint, profani & seculares esse dicuntur; testi-  
monium in contrarium allati non urgent, loquuntur enim  
de bonis ipsarum Ecclesiarum non beneficiorum, ut  
patet consideranti.

## TITVLVS XXVI.

de

### Testamentis & ultimis volun- tatibus.

**Q**UÆRES I. Quid sit testamentum, & quo-  
tuplex? Respond. Testamentum à testa-  
tione mentis dictum, definitur voluntatis no-

*stra* iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit. l. i. ff. qui testam. facere possint. dicitur iusta sententia, id est, solemnis & legitima sive secundum leges ordinata; per quod excluduntur legata, codicilli, fidei commissa & donatio mortis causa, quæ quidem sunt ultimæ voluntates, sed non sententiæ iustæ, sive solemnes, regulis de testamentorum ordinatione conformes. Testamentum taliter definitum, quod quoad originem suam est juris gentium, quoad solemnitates verò Juris Civilis, duplex est; scriptum videlicet & nuncupativum. Testamentum scriptum est ultima voluntas ab ipso testatore vel alio ejus nomine & jussu in scriptis facta; nuncupativum est quando testator voluntatem suam verbis tantum declarat adhibitis tamen solemnitatibus ad valorem testamenti necessariis, de quibus inferius speciali quæstione commodius agemus. utrumque hoc testamentum aliud est paganicum, aliud militare; Paganicum dicitur quod fit à paganis, id est non militibus, militare vero, quod non solemniter à milite factum est.

**QUÆRES 2.** Quæ sint solemnitates ad valorem testamentorum requisitæ? Respond. Ad testamentum scriptum, requiritur 1. Ut testator ipse vel alius ejus nomine voluntatem ipsius ultimam conscribat. 2. Ut is coram 7. testibus ad hunc actum specialiter rogatis vel invitatis, præsentibus eumque videntibus voluntatem suam scriptam exhibeat eamque suam esse testetur. 3. Ut in horum testium præsentia vel testator ipse, vel ejus nomine notarius aut testis octavus, & reliqui 7. testes manu propriâ se subscribant, & sigilla sua appendant; idque 4. statim id est non interveniente actu extraneo,

neo,

neo, sed uno contextu. Ad nuncupativum requiritur, ut testator coram 7. ejusmodi testibus hæc edem nominet, & dicat, quid post mortem suam fieri velit; ad quod testamentum scriptura & subscriptio testium requiruntur; ne tamen testibus a quorum fide totum dependet, longè absentibus, vel etiam mortuis testamentum corrumpat, plerumque adhibetur Notarius publicus, à quo ultima testatoris voluntas coram testibus declarata in scripturam redigitur, non ad ejus valorem, sed faciliorem probationem.

QUÆRES 3. Quænam testamenta sine dictis solemnitatibus condi possint? Respondetur. Sunt quædam testamenta, quæ minus solemnia vocantur, in quorum factio solemnitates remissa sunt. *Primum* est testamentum militare, quod nullam solemnitatem requirit, sed sufficit nuda militis voluntas, quocumque modo cognita. *l. i. ff. de militari testam.* Ut autem miles hoc privilegio gaudeat, debet testari in ipsâ expeditione & congressu; quòd si in expeditione extra congressum testari velit, duos testes adhibere debet, extra hoc casus utitur Jure communi. testamentum autem à milite factum, durat integro anno post honestam dimissionem. *Secundum* est testamentum parentum inter liberos, quod valet, modo parentes propriâ manu voluntatem suam scripserint, vel saltem subscripserint, aut coram duobus testibus eam exposuerint *l. hac consultissima §. 1. Cod. de testament.* *Tertium* est testamentum apud Principem vel apud acta, quod sine omni solemnitate valet, modo sufficienter de voluntate constet, quia sic exclu-

excluditur omnis fraus. l. 19. *Cod. de testam.* quartum est testamentum in tempore pestis conditum, ad cuius valorem convocatio testium non requiritur l. 8. *Cod. de testam.* quintum est testamentum ad pias causas, quod ultra jus naturale & gentium, nihil exigit; sufficit igitur, si de voluntate testatoris constet per duos testes & praesentiam proprii parochi *cap. 11. b. t.*

**QUÆRES 4.** An Jus Canonicum quoad factonein testamenti locum habeat in solo territorio temporali Papæ, an etiam in terris Imperii? Respond. Si fiat testamentum ad Causas pias, hæc dil. ositio Canonica etiam in terris Imperii procedit, prout passim videmus ejusmodi testamenta sustineri; extra hunc casum quodvis jus in suo territorio observandum erit.

**QUÆRES 5.** An testes requirantur ad ejusmodi testamenti pii valorem, an verò ad solam probationem? ad valorem pertinere contendit *Fachin. lib. 4. contr. jur. cap. 3.* verùm ad solam probationem spectare defendunt *Tiraq. Barbos. & Pag.* Ratio est quia ad testamentum pium plus non exigitur, quam quod Jure naturali gentium & divino necessarium est, ut constat *ex cap. 11. b. t.* his autem juribus testes ad probationem tantam requiri, res est indubitata; quod confirmatur inde; Testamentum pium non est minus favorabile, quam testamentum patris inter filios; hoc autem valet, etiam si nuda tantum scedula patris voluntatem declaret; Ergo similiter testamentum pium. hinc 1. Sufficit, si constet de voluntate testantis etiam per signa vel nutum. 2. Non requiritur ut testes rogati vel masculi sint. 3. Sub-

3 Subsistunt legata in testamento profano relicta licet illud forsan ob defectum solemnitatum invalidum esset; quia voluntas ultima quatenus per causas respicit à solemnitatibus non pendet.

QUÆRES 6. Quibus permissum sit condere testamentum? Respond. Generaliter omnibus qui specialiter non prohibentur *l. 1. Cod. de sacrosanctis eccles.* Prohibentur autem aliqui naturâ, cõ quibus non habeant sanam mentem, ut infantes, imbecilles, furiosi, & mente capti. aliqui lege, ij videlicet qui habent voluntatem corruptam ut prodigi, qui ab altero pendentem, ut filius familias quoad bona adventitia, servus, deportatus vel damnatus crimine capitali. Quidam prohibentur canone, videlicet usurarii manifesti; excommunicati ob hæresim; religiosi professi, & denique Clerici de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis *cap. 1. 7. 8. 9. & 11. h. t.* Licet autem Jure de talibus bonis testari prohibeantur, consuetudine tamen, vel speciali Episcopi privilegio hanc facultatem acquirere possunt; ut in Archidiecesi Moguntinâ; quod igitur testamenta Clericorum attinet, eorundem valor ex consuetudine vel privilegio cujuscunque Dioeceseos iudicandus erit.

OBIICIENS 1. Clerici habent perfectum bonorum etiam Ecclesiasticorum dominium, uti tit. *preced. quest. 2.* dictum; ergo de iis per ultimam voluntatem disponere poterunt. Prob. Conseq. validè de iis disponunt per actum inter vivos; ergo etiam per testamentum. Respond. Conc. antecedi. N. Conseq. ad prob. similiter Neg. conseq. quia ultimum ex certis causis expressè reperitur prohibitum, non primum.

OBI-

**OBJICIES** 2. Monachus ingrediens religionem potest sibi certa bona tempore professionis reservare. *cap. fin. qui Cleric. vel vocent. e. gò de his etiam post professionem poterit disponere per testamentum.* Respond. Neg. antec. ulum enim certorum bonorum sibi reservare potest, non autem proprietatem, quod ultimum repugnat voto paupertatis, non primum & sic intelligendum est, *cap. fin. citat.*

**QUÆRES** 7. Quodnam sit fundamentum testamenti? Respond. Institutio hæredis; possunt autem hæredes institui omnes specialiter non prohibiti; quales sunt deportati, rei læsæ majestatis; apostatæ, hæretici, *tot. tit. ff. de hæred. instituend. item Monasteria religiosorum mendicantium, v. gr. Franciscanorum & Capucinorum, quia non sunt Capacia ullius juris aut Domini, adeò quidem ut nec rerum usu cons. mptibilia, dominium se habere dicant, sed solum usum facti à jure distinctum; quod qualiter intelligendum sit, extravagans, ad conditorem Joann. XXII. de verb. signif. latius docebit.*

**QUÆRES** 8. In quoruplici differentia sint hæredes? Respond. In triplici. aut enim sunt necessarii tantum, ut servi, qui sive velint, sive nolint, hæredes fiunt, non aliter ac si hæred. tatem, quam forsitan respuunt, adiissent. Aut sunt sui & necessarii, ut filius familias in potest. te patriâ existens, qui necessarius est, eò quòd patri necessariò succedat ex *l. 12. tabul.* nec præteriri possit. suus autem quòd habeat beneficium abstinendi, aut sunt extranei sive voluntarii, qui potestati testatoris subjeti non sunt. Suis & voluntariis, competit jus deliberan-

berandi & beneficium Inventarii, cuius effectus est  
quòd hæres non obligetur creditoribus ultra vires  
hæreditatis. 2. quòd à legatis detrahere possit falci-  
diam. qui verò hæreditatem non confecto prius In-  
ventario simpliciter adiit, etiam ultra vires hæredi-  
tarias tenetur.

QUÆRES 9. Quænam circà hæredis Institue-  
tionem sint observanda? Respond. 1. Omnium  
bonorum non autem pro parte hæredem institu-  
endum esse, ne quis pro parte testatus pro parte in-  
testatus decedat, quod est legibus contrari-  
um. 2. Si testator liberos in potestate habuerit,  
eos aut instituere, aut nominatim expressâ exhære-  
ditationis causâ exhæredare debet. *Novell. 115. c. 1.*  
cum aliàs testamentum ex causâ præteritionis sit  
nullum, quibus titulo institutionis, non legati vel  
donationis, legitima relinqui debet, quæ hodie  
si liberi sint quatuor aut pauciores, est triens, id  
est tertia pars hæreditatis, si plures quàm quatuor  
est semis, id est dimidia ejus pars quòd aliàs ab in-  
intestato accepturi essent. *Novell. 18. § 1. 8. Berl. lib.*  
*part. 3. conclus. 12.* si minus quam legitima relicta  
sit, non querelâ inofficiosi sed ad supplementum ar-  
getur, *l. 30. § 36. Cod. h. t.* 3. Hæc legitima debet  
illis relinqui sine onere *cap. 17. h. t.* 4. Si filius a-  
pro parte hæres institutus jussus sit per fidei commissa-  
rum alteri hæreditatem restituere, non solum legiti-  
mam suam portionem servabit liberam, sed detra-  
hit insuper quartam trebellianicam, id est quartam  
partem totius hæreditatis quam jussus est restituere,  
idque tam de Jure Canonico quàm Civili. *Capitulum*  
*Raynutius & Raynuldus de Test. 5.* Si hæres legatis gra-  
vatus fuerit, detrahit quartâ falcidiæ *tot tit. ff. § Cod.*

*leg. falca.* 6. Si hæres in unâ tantùm parte aut certâ re hæres institutus fuerit, non addito alio hærede, is non legatarius, sed verus ex asse hæres erit; non aliter ac si omnium bonorum hæres institutus esset. *l. 1. §. 4. ff. de hered. instit.*

**QUÆRES 10.** Quid juris si plures hæredes instituantur? *Resp.* Si plures assignatis sibi partibus instituti fuerint, partem sibi assignatam consequentur; quòd si sine partibus, omnes æqualiter succedent, *l. 9. ff. b. t.* sin verò aliqui cum, alii sine partibus instituantur, pars hæreditatis residua inter eos qui sine partibus sunt, dividenda erit. *l. 13. §. 3. & 4. §. 17. ff. b. t.* quod ut melius intelligas.

*Observa.* Hæreditatem communiter in duodecim partes seu uncias dividi, quæ simul sumptæ *as* vocantur, duodecima pars dicitur *uncia*, duæ uncia dicuntur *sextans*, id est sexta pars assis; tres uncia dicuntur *quadrans*, id est quarta pars assis: quatuor uncia dicuntur *triens*, id est tertia pars assis quinque uncia dicuntur *quinjuncx*. sex uncia *semis*. Septem uncia *septunjuncx*. Octo uncia dicuntur *bes*, quasi bis triens. novem uncia *dotrans*. decem *dextans*. undecim *deunjuncx*; duodecim *as*. *§. 5. Instit. b. t.* Quòd si jam Cajus instituat in Triente, Titus in Triente, Sempronius & Lucius in reliquâ parte, vel simpliciter, altera triens inter hos dividenda erit. Quòd si verò tres instituerit, assignatâ cuilibet Triente, & nihilominus dixerit quartus & quintus ex aliâ parte hæredes sunt; tunc hi duo habebunt alterum assem, vel reducendo semissem, cum in duas asses aut potius 24. uncias hæreditatem suam divisisse censeatur testator. *l. 17. 18. ff. b. t.* si testator dixerit quartus & quintus ex reliquâ parte hæredes

Aa

sunt,

sunto, tunc hi duo nihil habebunt, quia nihil reliquum est. Si plures instituti sint hæredes assignati sibi partibus, & pars una vacet, illa singulis pro parte hæreditariâ accrescit.

QUÆRES II. Quid si institutio facta fuerit sub Conditione, an valeat? Priusquam respondeatur. *Nota.* Condicio est lex adjecta actui, differens effectum illius in futurum, & incertum rei eventum quæ vel est *necessaria*, v. gr. si sol oriatur, vel *possibilis*, quæ potest evenire vel non; vel *impossibilis*, quæ evenire nunquam potest. Idque vel ratione naturæ, cui videlicet natura ipsa impedimentum præstat, ut si digito cælum tetigeris; vel ratione juris, quæ nimirum contra bonos mores est, & turpis dicitur, ut si parentes occideris, vel ratione facti, quæ quidem absolute evenire posset, moraliter tamen impossibilis est, ut si montem aureum dederis, vel *potestativa* seu arbitraria, quæ ex merâ instituti voluntate dependet, v. gr. Cajum instituo hæredem, si ad templum iverit, vel *casualis* sive *fortuita*, quæ non ex voluntate hæredis sed casu vel fortunæ infideli dependet. v. gr. Si Cajus fuerit electus Archi-Episcopus, hæres erit, vel *mixta*, quæ tam de potestativa quam casuali aliquid participat, v. gr. Si tibi Catharina nupserit; his notatis ad Quæst. Resp. sub distinctione; vel hæres est extraneus, vel filius familias; & condicio appositæ vel est casualis, vel potestativa, vel impossibilis? extraneus sub casuali recte instituitur, filius familias non nisi sub potestativa; impossibilis in utroque habetur pro non adjectâ, sive talis fuerit naturæ, facti, aut lege. *l. Conditiones ff. b. l.*

Quæ-

**QUÆRES 12.** Quinam testes in testamento esse prohibeantur? Resp. Prohibetur. 1. Mulier l. 20. §. 6. ff. qui testam. fac. poss. In testamento tamen ad pias causas, uti & in codicillis validè testatur cum quoad hoc nulla reperiatur prohibitio. Covarruv. in cap. 11. b. t. 2. Impuberes, servi, muti, furiosi, surdi, & prodigi, quibus bonis interdictum est, item hæres scriptus, & qui eidem vel testatori ratione patriæ potestatis conjunctus est. 3. Damnati ob Carmen famosum, vel aliud grave delictum. §. 6. inst. t. h. t. l. 18. ff. eod.

**QUÆRES 13.** An hæres in conscientia teneatur voluntatem defuncti quoad legata in testamento relicta, & alia onera sibi imposita exequi si testamentum defectu solemnitatum sit nullum, constet tamen de voluntate testatoris? Quidam affirmant, quidam negant; ego censeo hæredem ex testamento nullo nullatenus obligari, quia leges testamenti factionem non nisi sub certis regulis concesserunt, adeoque voluntatem ab ejusmodi legibus dissonam, pro nullâ declarârunt, quod ex omnium Doctorum sententiâ fieri poterat. sicut matrimonium debitis solemnitatibus destitutum nullum est in utroque foro.

**QUÆRES 14** Quid sit substitutio? Resp. Est secunda hæredis institutio. Duplex est, *directa* & *obliqua* seu fideicommissaria; *directa* est, quæ fit verbis directis, id est, quâ hæreditas hæredi substituto immediatè ab ipso testatore defertur, qualis est, hæc quâ testator dicit, Titius hæres esto, si Titius hæres non erit, Cajus hæres esto. *Obliqua* est, quæ fit verbis precariis, id est, quâ hæreditas non ab ipso testatore, sed per aliû defertur, qui rogatur hæreditatem

stitueret; velut si hæredem institutum rogaverit  
 stator, hæreditatem alteri restituere; substitutio  
 directa alia est *vulgaris*, alia *pupillaris*, alia *exemplaris*.  
*Vulgaris* est, quæ fit in Calum, quo institutus  
 hæres non erit, sive noluerit, sive non potuerit.  
 quæ ideo vulgaris vocatur, quia sic substitui potest  
 quilibet, à quolibet. *Pupillaris* est, quæ fit imper-  
 ri in potestate patris existenti, & post ipsius mor-  
 tem in alterius potestatem non recasuro, sub  
 conditione, si filius hæres erit, & ante finitam  
 libertatem decesserit; *Exemplaris* est quâ pater  
 mater filio prodigo vel furioso substituunt in calum,  
 quo in furore vel prodigalitate decesserit. *Vulgaris*  
 substitutio exspirat, aditâ hæreditate pupillaris  
 tunc denam, cum pubes factus est is, cui facta est  
 substitutio. Inter utramque substitutionem hoc  
 interest quòd pupillariter substitutus capiat omnia  
 bona instituti & substituents; vulgariter substitutus  
 tantum bona substituents.

QUÆRES 15. An Clericus filium suum  
 legitimum hæredem instituere possit? Respondetur  
 negativè; per *Bullam Pii V.* Romæ publicatam 2. *Mar-  
 tij* 1571. quæ incipit: *Quæ ordinis Ecclesiastico.* In  
 quâ Clericis expressè revocatur omnis potestas  
 bonis non tantum Ecclesiasticis, sed & aliunde pro-  
 venientibus, aut quomodocunque partis in favo-  
 rem illegitimorum disponendi, sive per testamentum  
 sive per donationes legata, aut alio quocunque mo-  
 do. quæ constitutio de bonis etiam patrimonialibus  
 intelligenda est, prout idem Pius V. in alia *Bulla*  
 lâ quæ incipit *ad Romanam* editâ 5. *Martij*.  
 1572. declaravit.

## TITVLVS XXVII.

De

## Successionibus ab intestato.

**Q**UÆRES 1. Quando hæredes succedant ab' intestato? Respond. Successioni ab intestato locus tunc est, quando defuncto, ex testamento succedi non potest, quod fit quando vel testamantum non fecit, vel facere non potuit, vel fecit quidem, sed deficientibus solemnitatibus nullum.

**Q**UÆRES 2. Quot sint classes succedentium ab intestato? Respond. Hæredes ab intestato succedentes in quadruplici ordine collocari, nimirum, descendentes, ascendentes collaterales, & conjuges, in primò igitur ordine succedentium sunt liberi naturales & legitimi sive sui, sive emancipati, nati vel nascituri, mares vel fœminæ fuerint; *novell. 118. c. 1. § 4.* qui si omnes in eodem gradu fuerint, in capita succedunt; sin aliqui in primo, alii verò in ulteriori gradu fuerint, v. gr. frater & fratris liberi, succedunt in stirpem; hinc frater cum fratris sui liberis succedens patri, mediam fert partem hæreditatis, liberi autem fratris etiam si 10. fuerint, non nisi alteram medietatem consequentur, quæ vocatur successio in stirpes; quod idem dicendum est, si nepotes soli successerint, quorum ex una parte plures ex alterâ pauciores fuerint, fit enim successio in stirpes cum non succedant ex personâ propriâ sed jure repræsentationis. *dict. novell. 118. c. 1.* filii legitimati per subsequens matrimonium succedunt

Aa 3

cum

cum aliis legitimè natis; legitimati per oblationem curiæ, succedunt soli genitori *Novell. 89. c. 3. §. 4.* legitimati per rescriptam Principis tum demum patrem succedunt, quando naturales & legitimi simul non extant. naturales tamen à successione repelluntur si naturales & legitimi simul vel saltem legitima conjux adfuerit, alimenta tamen iis erunt præstanda; quod si defuncto nec liberi nec conjux fuerint, filii naturales cum matre concubinâ sextantem accipient, in reliquis cognati succedent. Spurii autem seu vulgò quæsi & ex meretrice nati cum patrem habeant incertum, ab hæreditate paternâ omninò excluduntur. *l. spurios ff. unde cognati l. vulgò quæsi ff. de statu hominum.* matri autem tam spurii quam naturales etiam cum aliis ex legitimo thoro procreatis succedunt. qui verò ex damnato coitu nascuntur, ab omni successione excluduntur, quibus leges alimenta, denegabant; quarum rigorem Canones sustulerunt *cap. 5. de eo qui duxit in mat. quæ poll.*

QUÆRES 3. Quis sit secundus ordo succedentium ab intestato? Respond. Secundus ordo succedentium ab intestato continet ascendentes, qui turbato mortalitatis ordine secundum propinquitatem gradûs succedunt excluso semper remotiore, sic mater excludit avum, avus proavum; quia in ascendentibus repræsentatio non habet locum. *Novell. 118. cap. 2.* quod si plures ascendentes in eodem gradu dispari tamen numero fuerint, v. gr. avus paternus, avia paterna & avia materna, fiet divisio hæreditatis in stirpes. *Idem Novell.*

QUÆRES 4. Quinam in tertio ordine ab intestato succedant? Respond. Tertius ordo

comple

complectitur fratres & sorores utrinque conjunctos unà cum liberis ex altero prædefuncto fratre vel sorore relictis, qui ultimi in stirpem vocantur, cum succedant Jure repræsentationis, excluduntur itaque fratres ex uno tantum latere defuncto conjuncti, uti & eorum liberi. Similiter & nepotes veri fratris defuncti si nimirum fratres & fratrum liberi adfuerint; ratio est quòd repræsentatio in lineâ descendente duret in infinitum in collateralali verò ultra fratrum filios non extenditur *Novell. 118. c. 3.* Sed proximior semper excludit remotiorem. quòd si fratrum filii soli sint, non instirpes sed capita succedent patruo. *l. 2. §. 2. ff. de suis & leg. hered.* Si fratres utrinque conjuncti non adsint, uterini & consanguinei succedunt *Novell. 118. c. 3. authent. post fratres Cod. de legit. hered.*

**QUÆRES 5.** Quinam in quarto ordine sint hæredes ab intestato? Respond. Quartus ordo succedentium Conjuges complectitur quorum unus alteri succedit si nec liberi nec cognati extent; ubi tamen ante omnia attendenda sunt pacta dotalia, aut his deficientibus locorum statuta; quæ in Successione conjugum maximè sunt inspicienda.

**QUÆRES 6.** Quis succedat Clerico intestato decedenti? Respond. In bonis patrimonialibus agnati in beneficialibus Ecclesia cui servivit; quòd si nec agnatos nec beneficia habuerit fiscus Episcopi hæreditatem occupabit. Religiosis post professionem mortuis succedit monasterium si successionis sit capax; mortuis ante professionem succedunt consanguinei; iis qui ex speciali, privilegio v. gr. in Ordine S. Dominici anno probationis nondum expleto professionem emisissent, non monasterium, sed consanguinei succedunt. **TIT.**

## TITULUS XXVIII.

De  
Sepulturis.

**QUÆRES 1.** Quid sit sepulchrum & quæ sit sepultura? Respond. Sepulchrum à *se-*  
*piendo* dictum est *locus concavus*, in quo  
*hominis mortui conditi solent*; Sepultura vero est officium  
quod *condendis aut sepeliendis Corporibus impendi solet*.  
Cet quandoque etiam pro ipso sepulchro aut terræ  
sepulturæ designandâ accipiatur. Licet autem olim  
sepulchra in civitate prohibita fuerint *l. XII. Tabul.*  
*l. 2. Cod. de relig. & sumpt. funer.* hodiè tamen apud  
Christianos locus communis ab Episcopo benedi-  
ctus sepeliendis corporibus destinatus est, qui *cu-*  
*meterium* vocatur.

**QUÆRES 2.** Quibusnam locis jus fune-  
randi competit? Respond. Jus sepeliendi Jure  
veterino nisi Ecclesiis parochialibus compete-  
bat, quibus præter portionem seu quartam Episcopi-  
lem debebatur portio Canonica, id est quarta pars  
bonorum defuncti nisi major pars ex consuetudine  
solvendâ fuerit *cap. 1. 2. & 9. h. t.* idque pro labore &  
curâ Animarum quam curatus gessit, cum æquum  
sit, ut sint socii consolationum qui fuerunt passio-  
num. *cap. 1. & 10. h. t. & cap. 3. eodem in 6. cap. 15. de*  
*testam.* hodiè tamen electio sepulturæ cuique libera  
est, quod si quis vivens sepulturam certam non ele-  
gerit, in parochiâ suâ sepeliri debet. *Clem. 2. §. ve-*  
*rum. h. t.*

**QUÆRES 2.** Quinam sepulturâ privan-  
di sint?

di sint? Respond. Sepeliri in locis sacris prohibentur: 1. Judæi & pagani. 2. Hæretici, indigni enim sunt post mortem communione fidelium, qui eam in vivis respuebant. 3. Excommunicati quorum corpora, si errore sepulta fuerint, exhumanda erunt. 4. Usurarii publici. 5. Interfecti in duello, & qui sibi ipsis violentas manus injecerunt. 6. Interdicti. 7. Denique quos in peccatis gravioribus Impœnitentes deceisse constat. *can. 26. cum seq. dist. 1. de consecr. can. 6. caus. 24. q. 2. cap. 2. de heret. in 6. cap. 5. § 12. b. t. Clem. 1. eod. can. si quis. c. 11. q. 3.*

**OBJICIES.** 1. Crimina morte extinguuntur, ergo post mortem injustè puniuntur. *l. 6. de public. jud. l. 20. ff. de accus. l. 20. ff. de pœnis.* Respond. Conc. anteced. Nego consequ. Licet enim crimina per mortem cessent, pœna tamen semel imposita, etiam post mortem durat; *l. 2. ff. de cadav. punit.* præsertim cum excommunicatio afficiat animam, quæ non moritur, sed immortalis est.

**OBJICIES** 2. Pœna infligitur ad emendationem vitæ; sed in mortuo locum non habet vitæ emendatio; ergo nec pœna. Consequenter ob excommunicationem in vivis contractam, non debet quis post mortem sepulturâ privari. Respond. Pœna vivis infligitur ad emendationem vitæ, mortuis autem ad terrorem viventium, ut hi a delictis abstineant, ob quæ mortuos vident sepulturâ privatos.



## TITVLVS XXIX.

De

## Parochiis &amp; alienis Parochianis.

**Q**UÆRES. Quid sit Parochia? Respon-  
 Parochia propriè dicitur certa Ecclesia ab  
 cuius Diœceseos, quæ populum certis li-  
 tibus distinctum habet, & Presbyterum sacramenta  
 administrantem. Ejus jus parochiale in eo con-  
 stitit: 1. quòd populus sibi subiectus in eâ & non  
 alibi sit baptizandus; 2. quòd in eâ nuptiæ, solem-  
 niter sint benedicendæ. 3. quòd parochiani obli-  
 gentur in Parochiâ suâ diebus dominicis & festiuis  
 missam & concionem audire; & 4. quotannis ad  
 minus semel paschali nimirum tempore proprio  
 suo parochio, aut de ejus licentia alteri confiteri, &  
 communionem percipere; quod bene statuitur, sed  
 malè observatur. *cap. 2. b. t.*

## TITVLVS XXX.

De

Decimis Primitiis & Oblatio-  
 nibus.

**Q**UÆRES 1. Quid sint decimæ? Resp. Deci-  
 mæ sunt decima pars fructuum vel lucri liciti  
 Deo in recognitionem supremi domini de-  
 bita & Ecclesiæ ministris pro sustentatione eorum  
 quotannis solvenda, quæ quatenus Sacerdotum  
 curam animarum exercentium sustentationem con-  
 cer-

concernunt, & indeterminatæ sunt, Jure divino debentur, quatenus autem in N. v. Testamento ad certam partem fructuum, decimatoribus indistinctè solvendorum restrictæ sunt, Jure tantum Ecclesiastico, debentur. *Exod 22. Levit ult.*

QUÆRES 2. Quotuplices sint Decimæ?

Respond. Decimæ aliæ sunt personales aliæ reales, aliæ mixtæ. *reales*, sunt quæ ex bonorum immobilium, v. gr. agrorum, vinearum, hortorum, sylvarum, &c. fructibus solvuntur. *personales*, quæ solvuntur ex lucro humanâ industriâ quæsito, v. gr. ex negotiatione, vel artificio. *mixtæ* dicuntur, quæ partim reales sunt, partim personales, v. gr. agni, pulli gallinarum, &c. Est & alia decimarum divisio in majores & minores; illæ ex vinearum, agrorum, &c. fructibus v. gr. vino, frumento, hæ ex fructibus hortorum, foetibus animalium & aliis minoribus rebus penduntur.

QUÆRES 3. Quibus Clericis decimæ sint persolvendæ? Respond. Debentur decimæ iis solum Clericis qui curam animarum exercent, & propterea Ecclesia parochialis ad percipiendas decimas fundatam habet intentionem in Jure, ita ut ortâ de decimis controversiâ onus probandi non Ecclesiæ sed solverenolenti incumbat, *cap. fin de Paroch. cap. 20. 24. 29. & alii b. t.* quod non solum de decimis, sed & novalibus procedit, quæ similiter Ecclesiæ parochiali, intra cujus fines exsurgunt, debentur, *cap. 22. & 20. b. t.* quod adeò verum est, ut licet quis vel præscriptione, vel consuetudine, vel privilegio etiam à Pontifice concessio in alienâ parochiâ decimas percipiat, ex novalibus tamen si quæ ibidem fiant, decimam percipere nequeat, sed illius loci curatus.

cap.

cap. 29. h. t. Rebuff. tract. de decim. 9. 14. num. 13. S  
 autem novalia fructus ex fundo ab hominum  
 moriâ inculto provenientes.

QUÆRES 4. Quinam ad solutionem decim  
 rum obligentur? Respond. Ad solvendas dec  
 mas lure communi tenentur omnes illi qui specia  
 privilegio, consuetudine, quæ quoad solutionem  
 decimarum hodiè maximè attendenda est præscrip  
 tione, vel remissione, non eximuntur. cap. 4. 5. 23. 24.  
 alis h. t.

QUÆRES 5. Quomodo jus decimandi ac  
 quiratur? Respon. Jus decimandi acquiritur pri  
 vilegio Pontificis & præscriptione, decennio quæ  
 dem contra privatam, 40. annis autem contra Eccle  
 siam intellige à Clericis; laici enim licet lus de  
 cimarum ante Concil. Lateranens. possessum retine  
 ant, illius tamen post hoc Concilium incapaces sunt.  
 cap. 7. de præscript.

QUÆRES 6. Quid sint primitiæ? Respond.  
 Primitiæ sunt primi fructus agrorum & arborum  
 Deo honorum omnium largitori oblatis; quæ in  
 lege veteri præcipiente Deo offerebantur, ut con  
 stat ex Malach 3. Gen. 4. In novâ tamen lege eas non  
 præceptas sed liberâs esse, verius est, exceptis duo  
 bus casibus, si nimirum consuetudo obtinuerit, ut  
 præstentur, vel Ecclesiæ ministri iis indigeant. cap.  
 præter hoc §. 2. dist. 32

QUÆRES 7. Quid sit oblatio? Respond.  
 Oblatio specialiter dicitur quidquid à Christi fide  
 libus in honorem divinum Ecclesiæ vel Deo offertur,  
 sive mobilis fuerit, sive immobilis; hîc autem pro  
 priè sumitur pro re ad altare vel manus Sacerdotis  
 celebrantis oblatâ, quod communiter fit inter mis  
 farum

farum solemnia, & hæ oblationes voluntariæ sunt, non præceptæ ceduntque parochæ, si fiant in Ecclesiâ parochiali, vel capella intra limites parochiæ existente; si in alia ecclesia, cedunt ejus prælato; vel ipsi altari, si ejus intuitu fiant. *can. quia. Sacerdotes. c. 10 q. 1. vallens. h. t. §. 2.*

## TITVLVS XXXI.

De

### Regularibus & transeuntibus ad religionem.

**QUÆRES 1.** Quid sit regularis? Respond. Regularis à regula dicitur seu religiosus, est ille, qui per remissionem professionis sub observantiâ certæ & à S. Pontifice approbatæ regulæ superiori se subjecit, & ad tria vota substantialia, paupertatis castitatis & obedientiæ se obstrinxit, differt à Monacho, quod Monachus non à regula tantum & votis Regularibus sed insuper à solitudine & vita contemplativa dicatur; ex quo patet nomen hoc non convenire illis, qui assidue inter homines versantur & nimis curis ac negotiis sæcularibus distrahuntur.

**QUÆRES 2.** Quot modis quis regularis sive religiosus efficiatur? Respond. Duobus modis fiunt regulares videl. *Primò*, oblatione vel devotione parentum, si pater vel mater, filium vel filiam impuberem monasterio tradat, qui tamen adveniente pubertate optionem habent devotionem parentum approbandi vel ad sæculum redeundi & *secundò*,

Secundò, professione propriâ; *can. monachum, caus. 23 q. 1. cap. 12. h. t.*

**QUÆRES 3.** Quid sit professio & quomodo simplex? Respond. Professio est promissio certæ religionis, quæ fit vel expressè vel tacitè; expressè quis pubes nominatim se alicui religioni devotæ ad manus superioris, aut professionem antea factam expressè ratam habeat; tacitè verò, si quis aliter quàm verbis v. gr. gestatione habitus regularis per annum professionem declarat; quod tamen hodie per *Concil. Trid. sess. 25. c. 15. de regular. correctum est*; utpote quod decrevit ne in quacunque religione emittatur professio ante expletum 16. ætatis annum, professionem prius factam declarans nullam.

**QUÆRES 4.** An quis professione factâ reclamare, & ad libertatem redire possit? Respond. Affirmat. Si videlicet reclamans justam causam habuerit, v. g. si metu etiam reverentiali, minis tamen conjuncto ad ingrediendam religionem inductus fuerit. *Trid. sess. 25. cap. 18. de regul. quæ causæ intra quinquennium coram superiore deduci, lapso autem quinquennio, nequaquam admitti debent. Trid. sess. cap. 19.*

**QUÆRES 5.** Quænam requirantur, ut professio sit valida? Respond. Ad valorem professionis requiritur: *Primò*, ætas legitima, id est 16. anni completi. *Secundò*, lapsus anni probationis. *Tertio*, ut profiteri volens sit sui Juris non alteri subiectus. *Quarto*, libertas omnimoda in proficiente, professio enim metu facta non tenet. *Quinto*, consensus capituli, nec sufficit consilium tantum. *Sexto*, obligatio ad vota substantialia. *Trid. sess. 25. c. 18. de regul. cap. 6. de his quæ sunt, à præl.*

QUÆRES

QUÆRES 6. An ætas ad valorem professionis requisita debeat esse integra & completa? Resp. Anni tam probationis quàm ætatis debent esse integri & completi, currunt enim de momento in momentum, uti docet *Barbos. de offic. Episcop. alleg. 101. num. 22. ex Trident. sess. 25. c. 15. de regulari. ad valorem professionis requirente, ut novitius decimum sextum ætatis annum expleverit, & in probatione steterit, non minori tempore quàm per annum, quòd ante ultimi momenti lapsum verum non est. Ratio est quia quoties certum tempus in favorem alicujus ad subeundam maturius obligationem designatur integrum esse debet arg l. 3. §. minorem ff. de minoribus, cum ergò anni integritas à Trident. requisita sit in favorem profitentis, ne temerè & non satis consideratè ad subeundas religionis asperitates obligetur, integer & ad momentum completus annus esse debet.*

QUÆRES 7. An probationis annus possit esse interruptus, an verò requiratur continuus? Respond. Annus probationis debet esse continuus non interruptus, unde qui anno probationis non expleto novitiatum deserit, eum de novo inchoare debet. *Panorm. & Barbos. in cap. ad Apostolicam. b. t. quod si quis anno probationis expleto, vel sponte exierit, vel dimissus fuerit, novitiatum repetendus erit, si notabilis mutatio intervenerit, vel tempus longum; Secus si intra breve tempus ad eandem religionem redire velit.*



TITU.

TITVLVS XXXII.  
De  
Conversione Conjugatorum.

**Q**UÆRES 1. An conjugati quandoque cessent sint religiosæ professionis? Respond. affirmat. Et quidem in quatuor casibus, presentente titulo propositis. Primus est quo matrimonium per carnalem copulam nondum consummatum, ratum tantummodò est. Tunc enim religionis ingressum conjugum licitum esse patet ex cap. 2. b. t. ac propterea in cap. 7. b. t. Conjugibus conceditur bini stare ad deliberandum, intra quod tempus matrimonium consummare non tenentur; uno autem conjugum religionem ingrediente, vinculum matrimonii solvitur & alteri licentia conceditur, ad alia vota transeundi. cap. 2. & 7. b. t. Secundus Casus est, quo conjugatus etiam post matrimonium jam consummatum religionem ingredi potest, si conjux consentiret; Et de incontinentia suspectus non fit; quod si suspectus fuerit, etiam ipse religionem ingredi debet. cap. 4. & aliis b. t. Tertius casus est, quo matrimonio jam consummato committitur adulterium, tunc enim conjugum innocenti ingressus religionis permissus est, etiam altero conjuge invito. can. agathosa. c. 27. 2. Quartus casus est, quo post matrimonium consummatum alter conjugum lapsus est in hæresim; ubi tamen distinguendum est; vel enim conjux innocens conjugem innocentem propria auctoritate deseruit, vel per sententiam judicis separationem obtinuit; in prioribus casibus conjugem de hæresi poenitentem recipere tenetur non item posteriori. cap. fin. b. t.

**OBJICIES.** Matrimonium consummatum non solvitur per ingtessum religionis; ergò nec ratum. Respond. Conc. Anteced. Neg. conseq. Prius enim representat conjunctionem Christi cum Ecclesiâ quæ insolubilis est; hoc verò cum animâ fideli, quæ solvi potest, & læpius æterno ipsius animæ detrimento solvitur.

## TITULUS XXXIII.

### De Conversione Infidelium.

**QUÆRES.** Quænam circâ infideles hoc titulo statuta reperiantur? Respond. Duo sunt singulariter quoad infideles, idest, eos qui per baptismum nunquam ingressi sunt ecclesiam, observanda: Primum est, si ejusmodi vir infidelis maritum mulieris fidelis, intervenientibus ipsius mulieris infidiis occiderit, matrimonium cum eâ contrahere non possit, etiamsi ad fidem Christianam convertatur *cap. 1. b. t.* alterum est, quod si conjugum infidelium unus ad fidem convertatur, altero in infidelitate manente, proles converso potius assignanda sit, ne ab infideli inducatur in errorem *cap. 2. b. t.*

## TITVLVS XXXIV.

### De Voto & Voti Redemptione.

**QUÆRES I.** Quid sit Votum? Respond. Votum a voluntate dictum est *promissio Deo*  
*Bb delibe.*

*deliberatò facta de l. no possibili meliori.* Dicitur  
 Deo facta, vovere enim est Deo aliquid sanctè pro-  
 mittere, unde quod homini promittitur, vovere  
 non dicitur. Dicitur 2. *deliberatè*, requiritur enim  
 na & perfecta deliberatio, uti & libertas in vove-  
 te. Dicitur 3. *de bono possibili*; impossibili enim  
 non datur obligatio. Dicitur 4. *de bono meli-*  
*id est*, res debet voveri quæ melior sit quàm  
 oppositum, ideoque non valet votum de non inge-  
 diendo religionem quia ejus oppositum melius  
 & Deo gratius.

QUÆRES 2. Quotuplex sit votum? Re-  
 spond. Dividitur 1. In *solenne & simplex*. Solen-  
 ne dicitur quod ex dispositione Juris perpetuam  
 voventi obligationem imponit, quæ relaxari  
 remitti non potest, eumque ad actus voto repug-  
 nantes inhabilem reddit; simplex est quod ex  
 juris dispositione talem vim non habet, dividitur  
 2. In *purum & condittonatum*; illud absolute emit-  
 titur, hoc non obligat, nisi impleatur conditio sub  
 qua emissum est. 3. In *expressum & tacitum*; illud  
 verbis vel scripturâ fit, hoc sine scripturâ & verbis  
 4. In *reale personale & mixtum*; in reali res, v. gr.  
 eleemosynæ, in personali actio voventis, v. gr. pe-  
 regrinatio, in mixto tam res quam actio, v. gr. pe-  
 regrinatio cum oblatione vovetur.

QUÆRES 3. Quis sit voti effectus? Re-  
 spond. Effectus voti est obligatio, votum enim se-  
 mel emissum, nisi relaxetur, necessariò implendum  
 est; Solvitur autem votum: Primò defectu ma-  
 teriæ, si bona aut possibilis esse desinat. 2. Defe-  
 ctu conditionis, ut si conditio sub qua votum emit-  
 tebatur non eveniat, *can. non solum cau. 22. quest. 8.*

3. Irritè

3. Irritatione. Si nimirū obligatio voti aliquo modo ab alterius voluntate dependeat, qui eam approbare nolit. Ita irritantur à Præfato omnia vota religiosorum; vota impuberum à parentibus. Servorum à Dominis, & mulierum à maritis. 4. Commutatione, commutare autem potest quilibet qui dispensare; & cuicumque permissum est, votum suum in id, quod manifestè melius est, commutare, *cap. 3 de Iurejur.* ideòque omne votum simplex in votum solenne religionis propria auctoritate commutari potest. 5. Denique dispensatione; omni enim voto inest hæc conditio nisi superior dispensaverit.

**OBJICIES.** Votum solenne & simplex apud Deum æqualiter obligant voventem. *cap. rursus. qui Cleric. vel vovent.* ergò sicut solenne propria auctoritate commutari nequit, ita nec simplex. Respond. Obligant æqualiter, quantum ad culpam mortalem. Conc. quantum ad commutationem. Nego.

## TITULUS XXXV.

De

### Statu Monachorum & Canonico- rum Regularium.

**QUÆRES.** In quo status monachorum consistat? Resp. Nomen status hinc strictè accipitur pro ea tantum conditione vivendi, quâ quis alteri perpetuo & stabiliter obligatur, quorum tres à S. Thoma in Ecclesiâ statuntur, videl. Episcoporum, religiosorum, & conjugum. Status igitur religiosorum est ipsa conditio vitæ monasticæ immobilis, qua vis superioribus re-

ligiosi obstringuntur. Ex quo patet ad statum religiosum constituendum requiri primò tria substantialia tit. 31. explicata; Secundo obligationem perpetuam ad dicta vota stabiliter observanda; Tertio, certam regulam à S. Pontifice approbatam *fin de Do n. Relig* Status religiosorum sic declaratus duplex est, unus monachorum, alter Canoniarum regularium, qui licet quoad rigorem disciplinae regularis, & privilegia inter se differant, conveniunt tamen in substantialibus Religionis.

## TITULVS XXXVI.

*De*

Religiosis domibus ut Episcopo  
sint subjectæ.

*Et*

## TITULVS XXXVII.

*De*

Capellis Monachorum.

**Q**UÆRES Quid sit religiosa domus & cui subiciatur? Respond. Religiosa domus est, quæ ad pium usum constructa talis est Xenodochium, orphanotrophium, betrotrophium, nosocomium, &c. item Ecclesiæ Basilicæ, monasteria, alique conventus Religiosorum. His omnibus convenit inter Doctores quod tam Ecclesiæ quàm Capellæ, uti & Monasteria Religiosorum Jure communi Episcopo subiciantur, ita ut

Episcopo

Episcopus super ejusmodi locorum intra fines suæ diœceseos existentium subjectione, visitatione fundatam habeat intentionem, nisi ea specialiter, videlicet privilegio vel præscriptione eximantur. *can. omnes Basilica, c. 16. q. 7. can. monasteria. c. 18. q. 2. cap. constitutus. de relig. dom.*

## TITVLVS XXXVIII.

De

### Jure Patronatûs.

**Q**UÆRES 1. Quid sit Jus Patronatûs & quotuplex? Respond. Definitur Jus Patronatûs, potestas presentandi instituendum ad beneficium vacans dividitur, in Ecclesiasticum & laicum ecclesiasticum est quod competit alicui ratione ecclesiæ; dignitatis, vel officij ecclesiastici quod habet, etiamsi originem habuerit à patrimonio laici, & personâ laicâ sit, cui competit. *cap. un. h. t. i. 6.* Laicum dicitur, quod alicui sive laico, sive Clerico competit ratione proprii patrimonij; eo quod tale beneficium fundaverit dotaverit, vel ejusmodi fundatoribus successerit. Adunt aliqui jus patronatus mixtum, quod partim ratione Ecclesiæ partim ratione patrimonij competit.

**Q**UÆRES 2. Quenam inter dicta patronatûs jura sit differentia? Respond. Differentia inter dicta patronatûs jura est primò quod patronus Ecclesiasticus habeat se vestire ad præsentandum, laicus non nisi quadrimestre. *c. 27. 22. c. 1. h. t. c. cap. un. eodem i. 6.* quod tempus currit non a die vacationis, sed à dienotitiâ. Secundò, quod patronus laicus uno præsentato, alios insuper intra quadri-

B b 3

mestre

metre præsentare possit non quidem à præsentatione jam factâ recedendo, sed accumulando, ita ut episcopus ex pluribus præsentatis, digniorem instituere possit *c. 5. 24 h. t.* quod non licet patrono Ecclesiastico.

**QUÆRES 3.** Quomodo jus patronatus acquiratur? Resp. Tribus potissimum modis jus patronatus acquiritur. Primò, fundatione, si prædium solum donetur, in quo ecclesia exstruitur. *Constitutam caus. 17 quest. 2.* Secundò, constructione, quis Ecclesiam suis sumptibus construat, vel prædium dirutam reparat. Tertiò, per dotationem, si quæ congruam & sufficientem dotem Ecclesiæ assignat. De quibus omnibus videatur. *Trident. sess. 14. cap. 1. de reform. & sess. 24. c. 9.* In his omnibus intervenire debet auctoritas episcopi.

**QUÆRES 4.** Quot modis Jus Patronatus amittatur? Respond. Amittitur Jus patronatus Primò, voluntariâ cessione ipsius patroni; Secundò, extinctâ omninò ejus familiâ. Tertiò per unionem beneficii patronati monasterio factam. Quarto, dirutione Ecclesiæ patronatus obnoxia. Quintò, admisso crimine, ejus privationem ipso jure incurrente; quale est cædes ipsius rectoris vel alterius Clerici Ecclesiæ patronatæ *cap. in quibusdam de penis.* Simoniaca venditio vel translatio Juris patronatus in alios; & denique Crimen læsæ Majestatis.

**QUÆRES 5.** Quomodo jus patronatus transferatur? Resp. Transferatur: 1. Hæreditariâ successione *cap. 1. & Clem. plures h. t.* taliter quidem ut si plures fuerint patrono hæredes, ad quemlibet illorum Jus patronatus in solidum transeat licet eorum portionibus inæqualibus scripti essent. Secundò de

natione, in qua intervenire debet auctoritas Episcopi, si donatio juris patronatus laico fiat, secus si Clerico *cap. 17. h. t.* Tertio venditione, quæ ut valeat, jus patronatus non debet vendi per se, hoc enim simoniacum foret, sed cum universitate bonorum, vendendo v. gr. castrum, cui jus patronatus annexum est, quod simonia caret, modo intuitu juris patronatus pro Castro non exigatur majus pretium. *cap. 7. §. 7. h. t.* Quarto, permutatione *can. nemini. caus. 16. q. 7.* ubi observa si jus patronatus reale fuerit, v. gr. castro annexum, permutato castro, permutatur etiam jus patronatus accessorie, si fuerit personale, permutari potest cum re aliâ spirituali, non autem temporali. *cap. ad quæstiones de ver. permut.* Quinto, denique præscriptione, quæ ut laicis proficit, immemorialis esse debet, *Trid. sess. 25. cap. 9. de reformat.*

**OBIICIES 1.** Jus patronatus est spiritualibus annexum *cap. 3. de jud. cap. 16. h. t.* Ergo sicut in spiritualibus non datur hæreditaria successio. *cap. 1. de præb.* ita nec in jure patronatus. R. spond. Concessit anteced. neg. conseq. speciali enim favore & gratiâ Ecclesia in jure patronatus successionem concessit, ut hac remuneratione laicos ad fundationem Ecclesiarum alliceret. *Gonzal. in cap. 2. h. t. n. 8.*

**OBIICIES 2.** Si dicta ratio valeat, ergo eadem successio in ipsis beneficiis admittenda erit. Respond. Negando illatum, beneficium enim essentialiter includit ministerium spirituale, sicut ergo in hoc non datur successio hæreditaria, ita nec in beneficio.

**QUÆRES 6.** An Episcopus spretâ patroni præsentatione, aliam personam in beneficio patro-

nato instituere possit? Resp. Negat. Sed facta a  
trono præsentatione personæ capacis & idoneæ,  
scopi vel alterius ad quem id pertinet, est præ  
tatum instituere, nec alteri quam præsentato be  
ficiam conferre poterit, tempus autem ad institu  
dum ordinario constitutum non est, sicut nec in  
tuto ad capiendam possessionem, nisi de eccle  
parochiali agatur, tum enim intra duos menses  
facienda est institutio per bullam Pij V. alias in  
stitutio ad superiorem devolvetur.

## TITVLVS XXXIX.

De

### Censibus Exactionibus & Pro curationibus.

**Q**UÆRES I. Quid sit census, & quomodo  
plex? Respond. Census hoc loco est  
præstatio pensionis annuæ, in signum sub  
jectionis Episcopo aut in recognitionem fundatio  
nis patrono ex redditibus ecclesiæ, vel beneficii sol  
vendæ. Duo sunt census præcipui hoc tit. decla  
randi. Primus est qui in signum subjectionis & hono  
rem ecclesiæ Cathedralis, ab inferioribus ecclesiis  
jurisdictioni episcopali subiectis, præstatur Epi  
scopo, & idcirco quandoque Cathedraticum, quan  
doque autem Synodaticum appellatur, eò quòd in  
Synodo solvi consueverit, *cap. conquereute de off. ca  
dularij*; qui census duos aureos non excedebat,  
secundum æstimationem antiquam, hoc est, ab in  
stitio t xari s litam, solvendos *cap. 20. Spenule*. qui  
census sicut minus sic etiam omnino præscriptione  
abro

abrogari potest. Secundus Census est, qui in recognitionem foundationis vel dotationis patrono solvitur, si videlicet patronus in ipsâ fundatione Censum expressè sibi reservarit; ex post facto enim Census nec de novo imponi, nec veteres augeri posse ex *cap. 3. 7. §. 13. h. t.* manifestè constat.

**QUÆRES 2.** Quid sint exactiones? Respond. Exactiois nomine *h. t.* veniunt contributiones & collectæ pecuniariæ extraordinariæ quæ in subsidium aliquod extraordinarium tam principibus sæcularibus quàm prælatis ecclesiasticis ex justâ causâ exigentibus, à subditis penduntur; licet autem exactioibus subditos suos gravare prohibeantur episcopi. *cap. 6. §. probabemus h. t. cò* quod ipsos mansuetudo deceat non virga ferrea; si tamen manifesta necessitas id exigat, moderatum aliquod subsidium, ex charitate à subditis sollicitare non vetantur, quod vulgò subsidium charitativum appellatur, & quandoque ex tali charitate exigitur, quæ exactioni æquiparatur.

**QUÆRES 3.** Quid sint procurationes? Respond. Procurationes sunt sumptus necessarij Episcopis vel aliis Ecclesiarum visitoribus, pro tempore visitationis ad eorum sustentationem subministrandi *cap. 23. h. t.* quæ moderatæ esse deberent, & ecclesiarum facultatibus proportionatæ *c. 14. §. 25. h. t.* ne indebitè gravatæ causam habeant conquirendi. quod ne fiat, cavetur *primo*: Si unâ die plures Ecclesiæ visitentur, non à singulis singulas, sed omnibus simul unam tantùm procurationem præstandam esse *c. 3. in 6.* *Secundo*, has procurationes non solutione pecuniæ, sed suppeditatione victualium solvendas esse. *Tertio*, nec à visitoribus

neceorum famulis munus quodcumque etiam sponte oblatum recipi posse, sub comminatione gravissimarum pœnarum; hodiè tamen per constitutionem Bonif. VIII *cap. felicis b. t. in 6.* in libertate est voluntate visitatorum, an in paratâ pecuniâ procurationes recipere velint, quod ipsum à Trident. *sess. 24 cap. 3. de reform.* confirmatum est. Præstantæ autem sunt ejusmodi procurationes ab omnibus Ecclesiis & monasteriis visitatis, ab illarum solutione speciali privilegio non exemptis quali privilegio gaudent ordines mendicantium per Bullam Pii V. quæ incipit *dum ad uberes.*

## TITULUS XL.

De

### Consecratione Ecclesiæ vel Altatis.

**QUÆRES 1.** Quid sit consecratio, & quomplex? Respond. Consecratio est ritus res DEO sacrandi cum adhibitione certarum solemnitatum & Ceremoniarum antiquitus ex instituto Dei & SS. Patrum introductus, quæ consecratio à proprio Episcopo fieri debet. Alia est rerum alia personarum, de prioris & quidem de consecratione Ecclesiæ potissimum præsentè titulo agimus; cum in ecclesia, id est æde divinis ministeriis deputatâ, divina peragere non liceat nisi consecrata fuerit.

**QUÆRES 2.** An consecratio Ecclesiæ reiterari possit? Resp. Semel facta reiterari non nisi duobus

bus casibus potest, si videlicet de ejus consecratione dubium oriatur, non apparente factæ consecrationis signo vel instrumento, aut ecclesia fuerit ex-crata, prout contingit quando vel incendio, vel alio modo, parietum crusta interior in qua conse-cratio facta est, vel tota vel magnâ ex parte abradi-tur, aut totum ædificium omnino destruitur; quod si parietes Ecclesiæ reparentur successivè, ita ut nunquàm major pars destructa fuerit, nova conse-cratiõne opus non est; quia sic pars nova minor ad-veniens præexistenti consecratæ, consecrata cense-tur, sicut oleum non consecratum commixtum oleo consecrato *cap. 3. h. t.* quia in his per accessio-nem magis dignum trahit ad se minus dignum.

**QUÆRES 3.** An Ecclesia polluta tantum, de novo consecrari, an reconciliari debeat? Re-spond. Ecclesia polluta tantum non consecrari de-novo, sed reconciliari debet, quæ reconciliatio fit ab Episcopo per aquam cum vino & cinere ab Epi-scopo benedictam, licet etiam à Sacerdote simpli-ci ex commissione hæc reconciliatio fieri possit. *cap. 7. h. t. can. solennitates dist. 1. de cons.*

**QUÆRES 4.** Quomodo polluatur Eccle-sia? Respond. Polluitur autem Ecclesia 1. Per sepulturam infidelis nondum baptizati, etiam in-fantis. 2. Excommunicati & publicè denunciati. 3. Per homicidium voluntariè & injuriosè aut sal-tem contra loci reverentiam factum. 4. Per insi-ctum in eâ vulnus injuriosè cum notabili sanguinis effusione *cap. vii. h. t. in 6.* unde non polluitur eccle-sia per sanguinem etiam copiosum, inflictâ alapâ ex naribus profluentem, quia nares facile sangui-nem

nem stillant. 5. Per copulam carnalem vel humerum  
ni seminis effusionem, peccaminosè factam.

QUÆRES 5. Quid requiratur præterea  
dictis modis polluatur Ecclesia? Resp. Ut ve  
ecclesia dictis modis polluatur requiritur: 1.  
actus nominati sint notorii, quia per delicta occu  
non polluitur ecclesia, non extra ejus limina, v  
in turri, sacristiâ, vel ambitu ecclesiæ parietibus  
hærente ut tradit Sanchez de matrim. lib. 9. disput. 14.  
25. pollutâ sic ecclesiâ etiam cœmeterium pollui  
tur, non e contra. Barbo. jur. eccles. lib. 2. c. 9. num.

QUÆRES 6. An pollutâ ecclesiâ etiam  
polluantur altaria? Respond. Affirmat. Ratio  
est, quod pollutio in quocunque ecclesiæ loco facta  
totam afficit ecclesiam, & omnia in interiori e  
spatio contenta & proinde etiam ad altaria extendi  
tur. Abb in cap. consuluisti h. t. num. 10.

OBIICIES. Execratio Ecclesiæ non afficit  
altaria; ergò nec pollutio. Respond. Concedi  
anteced. Neg. conseq. consecratio enim Ecclesiæ  
ejus parietibus inhæret, altaris autem ipsi altari, un  
de unâ sublatâ altera remanere potest.

## TITULUS XLI.

De

### Celebratione missarum, Sacramento Eucharistiæ & divinis officiis.

QUÆRES 1. Quid sit missa? Respond. Est  
verum sed incruentum sacrificium, corporis  
& sanguinis Jesu Christi, repræsentativu  
cruciatu

eruenti istius sacrificii in cruce peracti per quod me-  
 rita Christi nobis applicantur, & memoria ejus in  
 ecclesiâ conservatur, donec veniat iudex vivorum  
 & mortuorum. 1. Cor. 11. Trident. sess. 22. can. 3. de sa-  
 crif. in ff. sacrificium esse, de fide est, & Probatur: 1.  
 ex Malach. 1. v. 10. 11 ubi rejectis Judæorum sacri-  
 ficis dicit Deus, quod apud gentes, ab ortu solis  
 usque ad occasum in omni loco offeretur nomini suo  
 oblatio munda; 1. Hæc prophetia impleta non  
 fuit per sacrificia veteris legis, erant enim, ut verba  
 prophetæ sonant à Deo rejecta, gentes etiam inter  
 quas oblatio hæc fieri debebat, nondum erant  
 conversæ. 2. Verba Prophetæ intelligi non pos-  
 sunt de sacrificio in cruce, ut pote quod non ubiq;  
 inter gentes, sed in uno tantum Judææ loco per-  
 actum fuit. 3. Nec de bonis operibus, ut somni-  
 avit Lutherus, ea enim ex ipsius Lutheri confessione  
 sunt plena maculis, quibus nil præter iram Dei me-  
 temur, adeoque non sunt oblatio munda. 4. nec  
 de prædicatione verbi Dei; cum aliàs Lutherani &  
 Calvinistæ fateri cogantur, fidem suam non esse  
 hæc oblationem mundam utpote quæ non prædica-  
 tur ubique inter gentes, sed in una tantum, & exi-  
 gua quid in Europæ parte. Ergò de alio sacrificio  
 novæ legis intelligenda erunt, quod sit oblatio mun-  
 da, & offeratur ubique inter gentes; præter mis-  
 sam autem aliud sacrificium demonstrari nequit cui  
 verba prophetæ applicari possint.

Probatur 2. Ex Daniel. cap. 11. v. 31. cap. 12. 11.  
 quo loco propheta prædicit, quod tempore Anti-  
 Christi cessabit sacrificium jure quæ verba sum non  
 possunt, de bonis operibus, cum bona opera etiam  
 in atrocissimâ illâ persecutione nunquam deficient;

nec

nec de alio sacrificio improprio, ut considerantur  
quet; ergo de sacrificio Missæ.

*Probat* 3. *Ex cap. 66. v. 21. Esaiæ.* Ubi Deus  
promisit gentibus quod ex ipsis velit sibi eligere  
quosdam Sacerdotes, consequenter & sacrificium  
per electos ex gentibus Sacerdotes offerendum, con-  
tristat sine sacrificio ordinetur Sacerdotium.  
autem non est sacrificium labiorum, aut aliud im-  
proprie sumptum, cum quivis Christianus ex merito  
Lutheri sit Sacerdos improprie dictus; ergo sic  
Deus ex gentibus speciales sibi Sacerdotes elegit  
& sacrificium speciale instituit.

*Probat* 4. *Ex SS. Patribus qui in primis*  
Ecclesiâ missam pro vero sacrificio agnoverunt. Ita  
*S. Irenæus lib. 4. adversus hæreses c. 32. textum Malactia*  
*cap. 1. interpretatur de Missa. S. Augustin. lib. 17. de*  
*Civit. Dei. cap. 20. verba Spir. Sanct. Prov. 9. Bibi*  
*vinam quod miseri vobis, &c. intelligit de sacrificio*  
*Missæ. inquit: ubi apparet etiam sacerdotium secun-*  
*dum ordinem Melchisedech. lib. 10. de Civit. Dei. cap. 10.*  
*de Missâ ait: Hæc vero summoque sacrificio omnia sa-*  
*cificia falsa cesserunt. August. de spiritu Sancto. cap. 11. vo-*  
*cat missam sacrificium speciale lib. de orig. an. l. 22. de*  
*Civit. cap. 8. vocat eam sacrificium Corporis & Sanguinis*  
*Christi Iesu. Epist. 9. ad Paulin. dicit missam esse*  
*sancti Altaris oblationem. lib. 9. confess. cap. 12. de missâ*  
*ait. Cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri. S. Cy-*  
*prianus Epist. 63. ad Cæcilium, per Salamonem Spiritus*  
*Sancti typum Dominici sacrificii ante præmonstrat, immo-*  
*lata Hostia Panis & vini, sed & Altaris Apostolorum*  
*faciens mentionem. S. Hypolitus Martyr. lib. de con-*  
*summatione mundi & Anti-Christo; Ecclesiarum*  
*sedes sacra Tugurii instar erunt pretiosumque Corpus & Sanguis*

quis Christi non extabit in diebus illis, lurgia extinguetur. S. Iræneus lib. 4. Advers. hæreses. cap. 32. Novi Testamenti in novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens per totum mundum offert, Sc. S. Chrysostomus h. om. 3. in Epistolam ad Philippenses: Illud hororem venerationis plenum incutiens sacrificium. Hæc sunt clara Patrum testimonia. veritatem sacrificii Missæ adstruunt, quibus si fidem negaveris, Lutherum imitaris, qui postpositâ Sac. Scripturæ, eccl. & SS. Patrum auctoritate, in re tanti momenti, Diabolo credidit mendaciorum Patrum. Vid. Tom. 7. Wittenberg. fol. 43.

Probat. 5. David Psal. 109. v. 4. Christum vocat Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, sacrificium autem cruentum in cruce peractum non erat secundum ordinem Melchisedech; is enim obtulit panem & vinum; adeoque aliud sacrificium in vino & pane offerendum Christus habere debet, ut Sacerdos secundum ordinem Melchisedech dici possit.

**OBJICIES** 1. Christus semel se obtulit hostiam Deo Hebr. 9. & 10. ergo non datur aliud sacrificium in Nov. Testam. Respond. Conc. anteced. Neg. consequ. Apostolus enim loquitur de sacrificio cruento crucis, quod non nisi semel factum est, ut patet legenti. est hæc fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Sicut enim malè inferitur Christus semel genitus est ab æterno, ergo non est natus in tempore; Christus semel monstravit corpus gloriosum in monte Thabor, ergo non amplius habet corpus gloriosum; ita nec sequitur; Christus semel se obtulit modo cruento in cruce; Ergo non amplius modo incruento se offert, cujus consequentiæ stultitia manibus palpari potest.

**OBII-**

**OBJICIES 2.** Ubi est remissio peccatorum non est amplius sacrificium pro peccato. Heb. 10. Explic cum per sacrificium cruentum crucis veniam peccatorum & plenam cum Deo reconciliationem habemus, non erit amplius sacrificium. Respond. 1. ubi est remissio peccatorum non est amplius sacrificium cruentum Conced. incruentum Neg. huiusmodi postolus enim loquitur de sacrificio crucis, ex pretio totus mundus plenè & universaliter fuit reconciliatus, quale non datur amplius, sed non negat dari sacrificium incruentum, cruenti crucis sacrificii repræsentativum, & applicativum meritum Christi unicuique in particulari. Respond. 2. S. Paulus loc. cit. demonstrat Judæis, post mortem Christi in cruce sublata esse omnia V. T. sacrificia eaque inutilia esse ad consequendam salutem, requiri fidem in Christum. Respond. 3. vel Apostolus loc. cit. in remissione includit etiam peccata & qualia quæ quotidie committuntur, vel non? includat, cur damnantur tot homines, cum tamen per sacrificium Crucis habeant remissionem peccatorum? Si non, ergò non negat aliud sacrificium incruentum meritum Christi applicativum. Respond. 4. Apostolus ait, nos habere remissionem peccatorum per Christum, & tamen hortatur ut nos reconciliemus Deo. 2. Cor. 5. v. 18 Sicut igitur falsa est hæc sequela, habemus universalem reconciliationem per Christum, ergo necesse non est, ut quis post se ipsum particulariter se cum Deo reconciliet; sic stabilita est hæc consequentia; per sacrificium cruentum in cruce totus mundus Deo reconciliatus est, ergo non datur sacrificium incruentum per quod unicuique

que in particulari merita illius sacrificii cruenti applicantur.

**QUÆRES 2.** Quid sit Eucharistia? Respond. Est Sacramentum novæ legis, quod sub speciebus visibilibus panis & vini, sacrosanctum corpus & sanguinem Christi Jesu continet. Tria sunt hujus Sacramenti constitutiva, videlicet: 1. *Species visibiles.* 2. *realis præsentia Christi*, modo non naturali per extensionem partium, sed supernaturali, prout anima tota est in corpore hominis, & tota in qualibet ejus parte. 3. *gratia supernaturalis.* Institutionem ejus legimus. *Matth cap. 26. v. 26.* quando Christus celebratâ cum discipulis suis agni Paschalis Cœnâ, Sacramentum hoc in sui commemorationem observari præcepit. Ejus materia est panis usualis, v. gr. Truticeus & vinum de vite. forma sunt verba consecrationis *Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22.* præscripta, quæ non narrative; sed assertive proferuntur & subito ac ritè à Sacerdote hujus Sacramenti ministro prolata sunt, destructâ panis, vini que substantia, ponitur Corpus Christi, qui etiam extra actualem manducationem tam diu præsens manet, quam diu species panis & vini perseverant, quod ultimum Luthero displicet, non transubstantiationem solummodò, sed & extrâ actualem Eucharistiæ esum, realem Christi præsentiam neganti; prius verò Calvini Doctrinæ repugnat, qui eò demeritiæ devenit, ut contra apertissima Christi verba, realem ejus in Eucharistiâ præsentiam, negare non erubuerit.

**QUÆRES 3.** An realis præsentia ex scripturâ probari possit? Respond. Eam tam clarè & manifestè probari, ut nisi negantes ignorantia excuset,

Cc

culet,

cuset, ob apertissimam hæresin salutem æternam  
 tenere non possint, prob. autem 1. ex Matth.  
 26. v. 26. ubi Christus ipse discipulis suis dicit:  
*cipite & manducate, hoc est corpus meum.* v. 28.  
*pite & bibite, hic est enim sanguis meus Novi Testam.*  
 quod idem Luc. 22. 19. & Marci 14. 22. repetit.  
 2. Ex Joan. 6. 52. *Panis quem ego dabo caro mea est*  
*mundi vitæ.* 3. EX I Cor. 10. 16. *Calix benedictus*  
*cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi*  
 &c. 4. EX I. Cor. 11. ubi Apostolus ait, quod  
*manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat,*  
 quod non *dijudicet corpus Domini,* claris verbis præ-  
 sentiam Christi demonstrans, cum alias iudicium  
 non manducaret, si quod manducat, panis, & corpus  
 corpus Christi esset.

**OBJICIES.** *Hoc est corpus meum,* idem  
 est ac dicere, hoc significat corpus meum, quia  
 ptura signis Sacramentorum externis illarum rerum  
 nomen tribuit, quas præsignant, & sic panis & vi-  
 num dicuntur corpus & sanguis Christi, non quia  
 panis in corpus, & vinum convertatur in sang-  
 uinem, sed quod ea significant, quemadmodum Cir-  
 cumcisio dicitur testamentum B. & Exod 12. 11.  
 Phasè vocatur agnus paschalis, tamen agnum pas-  
 chalem solummodò præsignat.  
**Respond.** 1. Neg. anteced. nusquam enim in Scrip-  
 pturâ legitur signis Sacramentorum externis nomi-  
 rei significatæ tribui; falsitas patet in baptismo.  
 Ius signa externa sunt aqua verba & lavatio, res vero  
 significata, est remissio peccatorum, quam scriptura  
 signis hiscè externis minimè tribuit, sed ipsi bap-  
 tismo, qui non in externis solum sed internis signis  
 videlicet gratiâ Spiritus Sancti consistit, Resp. mo-  
 exen

exempla adducta falsissima sunt; nam *Genes. 17.* non  
 dicit Deus circumcisio est pactum meum, sed hoc est  
 pactum meum, quod pepigi vobiscum omne masculinum cir-  
 cumcidetur. qualis quæso hîc est attributio signati ad  
 signum? vere enim hoc erat pactum Dei cum Israe-  
 litis initum quod observare debebant, nimirum  
 circumcidere filios suos, quemadmodum, *Ioan. 15.*  
 dicitur: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invi-  
 cem.* Respond. 3. *Exod. 12.* non dicitur, agnus Pa-  
 schalis est phase Domini; sed præscribitur modus  
 agnum Paschalem manducandi: *venes vestros accinge-  
 gis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos  
 in manibus. &c. est enim phase id est transitus Domini* quis  
 quæso prudentum dicet tò est. Hîc sumi in signifi-  
 catione impropriâ? nam 1. verè erat transitus  
 Domini, quia Angelus in illâ nocte pertransiit, &  
 interfecit omne primogenitum, adeoque tò est sumi-  
 tur in propriâ suâ significatione. 2. *To transitus*  
 non est referendum ad agnum paschalem, sed ad  
 ceremonias ibi præceptas, videl. *lumbos accingere,  
 sessinanter comedere, &c.* quæ ceremoniæ non erant  
 sacramentum. Respond. 4. Positò textus citatos  
 eo sensu quo Calvinus voluit intelligendos esse, in-  
 de tamen minimè sequitur, rerum signatarum no-  
 men signis tribui; quia Circumcisio non ideo Sa-  
 cramentum erat, quia præsignabat fœdus Domini  
 cum Abrahamo, sed quia præsignabat Baptismum  
 Novi Testamenti uti docet *Catechismus Heidelber-  
 gensis quest. 74. ex Tom. 4. n. 11. 13. & Coloss. 2. 11. 12.*  
 Neque agnus Paschalis ideo Sacramentum erat,  
 quod præsignaret transitum Domini per Ægyptum,  
 sed quod præfiguraret transitum Christi, sive ejus  
 mortem in cruce, per cuius sanguinem Deus nobis

reconciliatus est. *Ioan. 19.* Res Igitur præsignata est aqua  
 in circumcissione est gratia per Christum, & in aqua  
 paschali reconciliatio Dei cum homine per sanguinem  
 Christi, hæc autem nullibi attribuuntur aquæ  
 paschali vel circumcissione. Respond. 5. Dicitur  
 hæc omnino in sensu A catholicis vera esse, non  
 men inde sequitur, Christum in Eucharistiâ non  
 se realiter præsentem. Nam 1. panis & vinum  
 non sunt signa externa sed solæ species. 2. Neque  
 corpus Christi est res præsignata, sed est sacramen-  
 tum & signum, res autem præsignatæ, sunt membra  
 Christi, quæ annuntiantur, gratia Dei, cibus æternæ  
 vitæ, & beatitudo iis promissa, qui corpus Christi  
 dignè manducant.

**OBIICIES 2.** S. Paulus Eucharistiâ vocat  
 panem etiam post consecrationem; ergo est panis.  
 Resp. Vocat panem in eo sensu, in quo à Christo  
*Ioan. 6.* sumitur: *Panis de cælo descendens*, qui datur  
 vitam mundo: vel vocatur panis, propter figuram  
 & species quas retinet, quemadmodum angelus  
*Gen. 18.* vocatur viri, propter formam virorum  
 quam præseferiebant, cum tamen viri non essent.

## TITULUS XLII.

De

### De Baptismo & ejus Effectu.

**QUÆRES 1.** Quid sit Baptismus? Respon-  
 ditur Baptismus, qui quasi janua est, quâ in  
 Christianæ vitæ societatem ingredimur  
 definitur *sacramentum regenerationis per aquam in verâ  
 vita*, *Joan. 3.* & *Ephes. 5.* hujus Sacramenti materia

est aqua naturalis; forma sunt ipsa verba Apostolis  
 in ag. *Matth. 28* præscripta. videl. *ego te baptizo in nomine*  
*Patri & filij & Spiritus sancti*; quam non invalidat  
 error in pronuntiatione syllabarum ex ignorantia  
 recti sermonis, modò non fiat animo introducendi  
 errorem vel hæresin, sed intentione baptizandi  
*can. vetulerunt & can. si non sanctificatur dist. 4. de consecr.*  
 minister hujus sacramenti ex officio est solus sacer-  
 dos, in necessitate tamen etiam laicus baptizare po-  
 test.

**QUÆRES 2.** Quinam baptismo egent ad  
 generationem vitæ an soli adulti an etiam infan-  
 tes? Resp. Baptizandi sunt omnes homines, cum  
 omnes peccato originali inquinentur etiam par-  
 vuli; qui non salvantur in fide parentum, ut somni-  
 avit scripturâ contradicente Lutherus, sed bap-  
 tismo egent; qui enim *renatus non est ex aquâ & Spiri-  
 tu S. non introibit in regnum cælorum Ioan 3.* Præceptum  
 enim de baptismo est universale, quod comprehen-  
 dit omnes qui in Adam peccaverunt, quales haud  
 dubiè sunt etiam infantes. *tit. 3 5. Marc. 16.*

**OBJICIES.** Apostolus. *1. Cor. 7. v. 14.* ait:  
*Filii vestri sancti sunt*, ergò baptismo non egent.  
 Respond. Pessima hæc est consequentia quam Aca-  
 tholici erroneè formant, ideòque multos infantes  
 sine baptismo mori permittunt, verba enim Pauli  
 vel intelligenda sunt de infantibus baptizatis, ut vult  
 S. August. vel insinuare voluit Apostolus etiam infan-  
 tes pertinere ad fœdus Domini, cui per Baptismum  
 inscribuntur, uti explicat Catechismus Heidel-  
 bergensis *quest. 79.*

**QUÆRES 3.** An Baptismus reiterari possit, &  
 quæ pœna in reiterantes statuta? Respond. Bap-  
 tismus

mus semel ritè collatus reiterari non potest; est, si quis ausu temerario eum reiterare præsumpserit, præter reatum peccati mortalis & pœnam excommunicationis de Jure Canonico omni beneficio officio privatur de jure autem Civili ultimo beneficio afficitur. l. 2. Cod. ne sanctum Baptisma reiteretur. b.

## TITVLVS XLIII.

De

### Presbytero non Baptizato.

**QUÆRES** An qui Baptizatus non est nati possit? Resp. Negativè. Nam nisi per Baptismum ingrediamur ecclesiam, non potest, cum qui baptizatus non est ordinari non posse, aut si ordinatus fuerit characterem non perire; hinc tali casu presbyter baptizandus, de novo ordinandus erit. cap. 1. § 3. b. t.

## TITVLVS XLIV.

De

### Custodiâ Eucharistiæ, Chrismatis aliorum Sacramentorum,

**QUÆRES** I. Quid præsentis tituli præcipua rationes? Respond. Custodiam præcipuam Eucharistiæ & olei sacri quo moribundis ungi solent. Cum enim Eucharistia sit viaticum morientium in articulo mortis præceptum confessionis extra sacrificium missæ, permessa non

est, hinc præsente titulo, tam Eucharistia, quam  
oleum sacrum asservari jubentur, ut in casu neces-  
sitate haberi possint; quæ in re non sola custodia,  
sed & decencia consideranda venit, quam si custos  
comiserit trium mensium suspensioni, se subijcit *cap.*  
*3. b. t.* is autem qui per ebrietatem Eucharistiam  
evomit, si laicus fuerit 40. si Clericus 70. diebus pœ-  
nitebit *can. si. quis. dist. de consecrat.*

**QUÆRES 2.** An extrema unctio sit sacra-  
mentum? Respond. Affirm. prob. ex *Jacob. 5. v.*  
*14.* ubi reperiuntur omnia requisita ad sacramen-  
tum necessaria, uti *lib. 1. explicavimus.*

**OBIICIES.** Epistola Jacobi non est cano-  
nica; ergo ex eâ sacramentum extremæ unctio-  
nis probari nequit. Respond. Jacobus scripsit, quod  
Christus præcepit, & quod in primitivâ ecclesiâ  
faciebant Apostoli, hi autem ungebant infirmos,  
*Marc 16 v. 13.* Quod non fecissent, nisi mandatum  
Domini & promissionem gratiæ infirmis per oleum  
concedendæ habuissent.

## TITVLVS XLV.

### De Reliquiis & Veneratione Sanctorum.

**QUÆRES 1.** Quinam pro Sanctis sint ha-  
bendi? Respond. Non omnes qui cum  
famâ sanctitatis obierunt pro sanctis ha-  
bendi, ac venerandi sunt, sed ij soli qui auctori-  
tate Apostolicâ approbati, atque prævio examine

miraculorum & virtutum canonizati & in numerum sanctorum relati sunt, quæ canonizatio licet non fundet articulum fidei, hunc vel illum sanctum esse in cælo, ex defectu revelationis divinæ, certitudinem tamen præstat propter rigorosissimum examen canonizationem præcedens, & promissionem Christi ecclesiæ factam.

QUÆRES 2. An sancti coli possint.  
Respond. Affirmat. ex Trident. decret. de invocatione sanctorum. Utrumque autem sustulit Lutherus, transferens eorum venerationem, quorum societatem & gloriam sciebat se non consecuturum. Cultus SS. dulciæ non patriæ centena evincunt scripturæ loca; cum enim viventes coli potuerint, 18. 4. Reg. 2. & 4. Daniel. 2. Genes. 18. Iosue. 1. Etiam mortui, quos in gratiâ Dei obuisse novimus coli poterunt. maximè cum DEUS ipse, sanctorum suos veneraturum promiserit. Ioan. 12. & Luc. 11.

QUÆRES 3. An sancti possint invocari.  
Respond. Invocationem sanctorum non præceptam sed permissam esse, inde patet. Primò, quod liceat invocare angelos Gen. 17. v. 32. cap. 48. etiam & sanctos. Secundò, quod pro nobis orent in cælis. Zachar. 1. Tob. 12. Apoc. 4. & 8. 2. Mach. 15. Ergo & invocari possunt, ut pro nobis preces suas apud Deum interponant.

QUÆRES 4. An reliquiæ sanctorum, coli possint & cum reverentiâ asservari? Respond. Reliquias sanctorum in ecclesiis asservari & coli potest. Trident. ait sess. 25. decreto de invocat. Sanctorum. Cum enim medicum propter necessitatem honorare scripturæ jubet, etiam reliquis & ossibus sanctorum, quibus

singularem sæpius virtutem à Deo inditam, novimus, cultum debitum nemo prudens negabit.

## TITULUS XLVI.

### De Observatione Jejuniorum.

**QUÆRES 1.** Qui d sit jejunium? Respond. Jejunium ab *Innoc in cap. 1. h t.* describitur, parsimonia victûs & abstinencia ciborum certis temporibus ex præscripto ecclesiæ servanda & consistit in tribus, videlicet in abstinencia à Carne, in unâ refectioe, & in certâ refectiois horâ, quorum duo priora essentialia sunt, tertium accidentale. Licet autem unica tantum refectio sit de substantiâ jejuniî vespertina tamen collatio permittitur de consuetudine, tum ne potus noceat, qui in substantiâ jejuniî, non includitur, tum ut somnus concilietur qui ad conservandas hominis vires requiritur; hæc tamen collatio moderata esse debet, nec eorum accommodata menti qui se jejunare credunt, dum nil calidi comedunt.

**QUÆRES 2.** Quinam ad jejunium obligentur? Respond. Ad hoc jejunium tenentur omnes, qui annum vigesimum primum compleverunt, nec sexagesimum excefferunt, idque sub reatu peccati mortalis *can. 68. Apostolorum.* ratio jejunandi erat, ut caro castigata spiritui subjiceretur.

## TITVLVS XLVII.

De

## Purificatione post partum.

**Q**UÆRES. Cur sit introducta mulierum purificatio? Respond. Ad obtinendam munditiam quam per partum amiserunt. Lege enim Mosaicâ mulier post partum iudicabatur immunda, atque propterea si masculum peperisset 40. si foeminam 80. diebus ab ingressu templi abstinere iubebatur; quo tempore lapsa, & factâ oblatione debentâ, purificata & digna introitu ecclesiæ censebatur. hæc autem purificatio hodie Consilii est, non precepti *cap. un. 6. b. l.*

## TITVLVS XLVIII.

De

## Ecclesiis Ædificandis vel reparandis.

**Q**UÆRES I. An indistinctè cuius liceat ecclesias propriâ auctoritate ædificare? Respond. Negat. Nam licet bonum & meritorium opus sit, ecclesias in honorem Dei & SS. construere, earum tamen ædificatio non nisi sub certis conditionibus permittitur, quarum prima est ut fiat auctoritate Episcopi, qui vel per se vel per Vicarium, locum ædificandæ ecclesiæ publicè designabit, & collocatâ ibidem cruce primum lapidem in fundamento ponet. *Barbos. de off. episc. alleg. 26. num. 1.*

Secun.

Secunda est justa causa, qualis secundum *Trid. sess. 21. cap. 4. de reform. Scipit. ad audientiam b.t.* est magna difficultas adeundi ecclesiam, v. gr. ob distantiam loci. Tertia ut ecclesia erigenda habeat populum, *Trid. loc. cit.* quem censetur habere, si inibi reperiantur 10. familiae. Quarta, ut provisa sit sufficiente dote; ne ecclesia in honorem Dei ædificata defectu dotis conuat; quod ne fiat, ecclesia ruinosæ reparanda erit. *cap. 4. b.t.*

**QUÆRES 2.** Cujus sumptibus ecclesiæ vel omnino collapsæ, vel ruinosæ sint reparandæ? Respond. Facile erit ad propositam quæstionem respondere si distinctionem inter Jus antiquum & novissimum feceris: Jure enim antiquo decretalium ecclesiæ reparatio potissimum ad ejus beneficiatos spectabat *cap. 1. § 4. b.t.* Jure autem novissimo *Trid. sess. 21. c. 7. de reform.* Imprimis ad reparationem vocatur ipsa ecclesiæ fabrica, si sufficientes redditus ad seipsam ædificandam habeat. in hujus defectum, vocantur Rectores & beneficiati pro ratâ reddituum imò & patroni si pensionem annuam ab ecclesiâ percipiant, quemadmodum & decimatores, qui hodie ex universali consuetudine in Archidiocesi Moguntinâ ad reparationem Chori indistinctè obligantur, ipsam verò ecclesiæ navim reparat communitas, ut adeò hodie dum non jus scriptum, sed cujuscunque Dioceseos consuetudo & praxis inspicienda sit.



TITU.

## TITVLVS XLIX.

De

Immunitate Ecclesiarum Coemeterii & rerum ad eas pertinentium.

**Q**UÆRES I. Quid sit Immunitas, & quomplex? Respond. Immunitas est *exemptio ab oneribus publicis aliis Communibus*; quæ triplex *struitur, personalis, realis & localis*. Personalis competit personis ecclesiasticis & consistit 1. In privilegio Canonis *si quis suadente caus. 17. quest. 4.* vi cuius violentas manus Clerico injiciens excommunicatur. 2. In privilegio fori, cuius vigore, ad iudicium seculare trahi non potest. 3. In exemptione ab omnibus oneribus personalibus quæ corporali labore persolvuntur. *l. fin ff. de muneri.* 4. Omnimodâ exemptione ab obligatione legum Civilium, quibus, si communem utilitatem & gubernationem Republicæ concernant, non nisi directivè tenentur. 5. In exemptione à vectigalibus & tributo. *cap. 4. b. t.* Immunitas realis est, quæ rebus ad ecclesias, personis ecclesiasticas, & loca pia spectantibus concessa est, ut à sæcularis potestatis exactionibus sint immunes; res tales, sive bona sunt duplicis generis; quædam immediatè ex donatione v. gr. pertinent ad ipsam ecclesiam seu ejus fabricam; quædam à singulis ecclesiæ personis ratione beneficii, adeoq; titulo spirituali possidentur, quæ omnia à tributis per potestatem sæcularem impositis immu-

nia esse, communis est Canonistarum, doctrina. *cap. 1. h. t. in 6.* Immunitas localis est quæ à SS. Canonibus ad imitationem legis veteris ecclesiis earumque Cœmeteriis concessa est, quâ prohibetur: Primò nè in iis negotiationes, aut strepitus judiciales exercentur. *c. 1. § 5. h. t.* Secundò, nè reus cujusq; criminis, paucis exceptis, ad ecclesiam confugiens inde extrahatur, gaudet enim jure asyli propter honorem ecclesiæ debitum, quæ in minori non debet reverentiâ haberi, quam in V. Test. Civitates refugii. quin imò iunitas hæc non tantùm in ipsâ ecclesia, sed 40. passibus circa eandem competit; nollem tamen huic immunitati confidere, quam toties vidimus tam turpiter violari.

**QUÆRES 2.** quinam gaudeant jure asyli?  
Respond. Asylo gaudent omnes, excepto latrone publico, *cap. 1. de homicid.* & eo qui per industriam & stratibus insidiis homicidium commisit aut in ipsâ ecclesiâ vel ejus Cœmeterio deliquit, cum frustra auxilium legis imploret, qui in legem deliquit, *cap. 10. h. t. de quo videnda est bulla Gregor. XIV. publicata Romæ 1591. apud Quarant. fol. 583.*

## TITVLVS L.

Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

**QUÆRES.** Quanam hoc tit. Clericis & Religiosis prohibeantur? Respond. Cùm secundum Apostolum 2. *Tim. 2.* nemo militans

litans Deo sæcularibus se negotiis immiscere  
 beat, hinc præsentè tit. ijs sub pœna excommu-  
 cationis inhihetur: Primò, ne lucri causa nego-  
 entur, v. gr. boves inactando, lanionum officio  
 exercendo, vinum & frumentum emendo & ca-  
 us vendendo. Secundò, ne in bello ordines  
 cics explodant tormenta, nec exerceant Chyrurgum  
 per incisionem & adustionem, ne agant iudicia  
 sanguinis. Tertiò, ne sint Ministri laicorum,  
 rum negotia gerendo vel procurando, exceptis  
 causis miserabilium personarum. Quarto, ne ex-  
 ceant officium tabellionis seu notarii, nisi in causis  
 ecclesiasticis. Quintò, ne Medicinæ studeant,  
 ipsorum enim officium est animabus medici-  
 non corporibus. cap. 1. 2. 3. &  
 reliquis. b. i.

*Finis Libri Tertii decretal.*



LIBRI